Oehmichen - De Compositione
Episodiorum. 1881.

Cover

DE

COMPOSITIONE EPISODIORUM

TRAGOEDIAE GRAECAE EXTERNA

DISPUTAVIT

GUSTAVUS OEHMICHEN.

P. I.

ERLANGAE.
IN AEDIBUS A. DEICHERTI.
MDCCCLXXXI.

DE
COMPOSITIONE EPISODIORUM
TRAGOEDIAE GRAECAE EXTERNA

DISPUTAVIT

GUSTAVUS OEHMICHEN.

P. I.

ERLANGAE.
IN AEDIBUS A. DEICHERTI.
MDCCCLXXXI.

Impressit Junge et filius, Erlangae.

Particula prima.

Prooemium.

Nihil his suscipiendum videtur in quo peccari possit.
Lachmann de mens. trag. 16.

Quadratam compositionem vel symmetriam et numerum vel potius rhythmum in uno quoque opere atque artificio inesse consentaneum est. Nam symmetriam ad eas tantum artes spectare quas uno vocabulo plasticas complectar, rhythmum vero ad poeticas sive musicas, quae Godofredi Hermanni opinio fuit, ut nunc iam nemo fere putet effecisse mihi videntur processus quos habent omnes antiquitatis studii disciplinae. Immo et rhythmum cerni in aedificiis signis tabulis pictis non solum a veteribus scriptoribus satis luculenter expositum est, sed etiam ab archaeologis magis magisque intellegitur et poetarum opera rhythmica quadam ratione composita esse non erit cur negemus. Carmina enim ipse Hermannus aliique aequali quadam et versuum et verborum collocatione constructas esse perspexerunt. Eadem vel consimili membrorum constructione conspicuas esse lecticas ut ita dicam dramatum potissimum partes commonstrari potest. Id quod mihi propositum est.

Sed antequam ad ipsam argumentationem progredimur, quid sit rhythmus quidque sibi velit episodium exponamus opus est. Nam symmetria quam vim habeat atque naturam etsi nemodum paucis perscripsit, tamen quia inter omnes fere constat, fusius explicare hoc loco possumus supersedere. Alia rhythmi est ratio. Quem quoniam non temporis solum intervallis, sed loci etiam cognosci supra docuimus, qui Aristoxeno auctore ordinem temporum dixerunt videntur errasse. Hi enim eum non modo

nimis exiguis quibusdam finibus circumdederunt, verum etiam, quantum ego iudicare possum, falsis. Nam si ita res sese haberet, etiam in flumine rhythmum cerni necesse esset, quia singulis horis eadem aquae copia praetervolvitur, item in machinis in viis ferro stratis aequali celeritate se promoventibus, necnon in horologiis certis quibusdam temporis intervallis sine ulla intermissione eundem illum sonum efficientibus quem repetitum recentiores consuevimus denominare tictac. Quae in his agnoscitur vis quippe qua ordo temporum non tam turbetur quam cumuletur aequabilitas motuum dici debet, rhythmum igitur ut aliud aliquid putemus necessario evincitur. Sed ne multis morer: quid sit rhythmus nemodum, quod equidem legerim, lucide breviterque definivit, descripsit recte et quasi enarravit solus Vitruvius. Nam quod eurythmiam ait, nihil ad rem; quis enim non videt eurythmia idem eum notatum voluisse quod caeteros fere rhythmo? Dicit autem ille haec VI, 2, 5: „Igitur statuenda est primum ratio symmetriarum, a qua sumatur sine dubitatione commutatio; deinde explicetur operis futuri locorum imum spatium longitudinis et latitudinis, . . . sequatur eam proportionis ad decorem apparitio, uti non sit considerantibus aspectus eurythmiae dubius. Cf. VI, 2, 4 non puto oportere esse dubium quin ad locorum naturas aut necessitates *detractiones* aut *adiectiones* fieri debeant"

Est igitur rhythmus perinde ac symmetria vis quaedam formalis vel idealis quae non nisi in materia conspicitur, non minus varia atque multiplex quam ipsa materia. Illud autem interesse mihi videtur inter symmetriam et rhythmum quod haec mathematicam quandam sequitur rationem, ille non sequitur, immo immutat secundum certas mathesis leges distributam materiam ita ut venustior efficiatur perceptio. Quamobrem rhythmum sic definire licet ut iucundam eum aequabilitatis dicamus commutationem. Simili modo mecum in constituendis rhythmi finibus Vitruvium secutus est Henricus Brunn in Historia artificum I, 137. Hic de recte definiendis cum aliis tum his de quibus disputamus rebus dubitantem me, nonnunquam etiam propemodum desperantem colloquiis qua solet esse humanitate erexit adiuvit ad novas cogitationes concitavit. Nec minus profeci scriptis quae in lucem protulerunt Christ Myriantheus Wecklein Arnoldt Hense Muff. Ex quibus Christio, harum rerum intellegentissimo

iudici, quod tanta me exceperit comitate ac beneficentia ut quamvis in contrariam opinionem mihi discedenti quae vel dubia vel falsa videbantur indicaret, hoc quoque loco gratias ago quam maximas.

Sed ad institutam disputationem revertamur. Iam posito quid sibi velit rhythmus ad episodii vim definiendam opus est transeamus. Atque Aristoteles quidem ita eam expressit ut totam quandam dramatis partem episodium diceret inter duo chori carmina principalia interpositam. Quae quidem definitio longiorem desiderat explicationem, non tam quod probari nequeat — rectissima est — quam quia chorica non ita certis finibus circumscripta sunt. Neque enim satis constat quae et qualia sint quae carmina ab Aristotele eo nomine usurpantur quidque intersit inter ea et illa carmina quae chori minora videntur posse appellari et dubitationes exsistunt non solum ubi incipiant chorica, sed etiam ubi claudantur. Quare sic instituemus materiam ut uno capite de carminibus chori principalibus dicamus, altero disseramus de partibus episodiorum, tertio de symmetria dramatica disputemus.

c. I. De carminibus chori principalibus.

§. 1. De exodi notione.

Parodus stasimum exodus episodium cum vix dubium videatur quin termini technici fuerint, nemo mecum luctabitur, si in poesi dramatica idem statuo factum esse posse atque in caeteris artibus, illud dico ut nomina quidem vetusta retinerentur, vis vero eorum et effectus sensim pedetemptimque immutaretur. Id quod num re vera factum sit anquirentibus nobis ab exodo exordiri utilissimum visum est. Exodum igitur Aristoteles novissimam dixit esse tragoediae partem quam non sequeretur chori canticum. Quam definitionem etsi non est cur negemus perbene quadrare in fabulas Sophocleas et Euripideas, nullo tamen pacto cum Aeschyli Supplicibus Persis Eumenidibus concinere quis est quin videat? Atqui excogitata ab Aristotele illa nomina non possunt putari. Eo ergo adducimur ut vim exodi in tragoedia graeca immutatam esse credamus, hoc est ut tragoediae exodum aeque atque comoediae chori carmen a principio fuisse existi-

memus parodo oppositum, id quod iam L. Schmidt Susemihl alii senserunt[1]).

Quae coniectura sat commode favetur eis quae Tzetzes et Pollux communia exhibent: Westphal Proll. ad Aeschyl. IX. Tzetzes enim primo capite libri de tragica poesi conscripti grammaticum secutus non ita spernendum, necdum tamen tanti aestimatum quanti debet quinque enumerat partes choricorum carminum: parodum stasimum emmeliam commum exodum, quas easdem (a Myriantheo Marschlieder 93^{20} neglectas) eidem auctori depromptas (Westphal Proleg. 10) Pollux prodit IV, 53 eodem ordine post vocem tragoediae: parodum stasimum emmeliam commatica exodum. Haec nomina cum prorsus absimile sit ab ipso illo grammatico conficta esse cumque ex ipsis fabulis non desumpta esse videantur, alium aliquem ab eo in usum vocatum esse concedendum est cuius aetate vetus illa exodi forma fortasse nondum esset exoleta. Quae cum ita sint, has duas exodi formas ita distinguere placet ut illam choricam exodum nominemus, recentiorem exodum *κατ' ἐξοχὴν* sive scaenicam. Partem autem esse choricae quas mixtas vocamus Persarum et Eumenidum exodos in fine huius capitis docebimus.

§. 2. De parodi notione.

De parodo quae ante medium hoc saeculum prolatae sunt opinionum rationem habere ut nunc possimus supersedere factum est disputatione Theodori Kockii anno 1850 edita (Ueber die Parodos der gr. Trag.); qui quamquam nec ea qua par erat diligentia Aristoteliam definitionem consideravit et in terminos parodi accuratius inquirere omisit, tamen caeterorum testimoniis congestis diligentissimeque examinatis et origine vocis explicata notionem parodi si non totam patefecit, at proxime

1) Comoedia graeca, id quod tenendum videtur, hanc exodi formam saepissime exhibuit (Myriantheus Marschl. 94) ita ut anonymus, quem Aristoteli auctoritatem secutum videri constat, sic definiret exodum (J. Cramer Anecdot. Paris I, 405): *ἔξοδός ἐστι τὸ ἐπὶ τέλει λεγόμενον τοῦ χοροῦ.* Atque etiam Plautus et Terentius exitus fabularum lyricis metris composuerunt, quode conferas Christium disputantem in Paracataloge (92) 40^{24}.

ad veritatem accessisse iudicandus est. Quam repudiaverat Kock Aristoteliam definitionem quinque annis post in honorem reduxit Leopoldus Schmidt in commentatione de parodi tragoediae graecae notione, ita quidem ut fundamento ea utendum statueret, pluraque addidit ad cognoscendam tragoediae graecae divisionem idonea. Post hos quos laudavi viros doctos aliquamdiu nemo quicquam detegit. Nam quam Ferdinandus Ascherson anno 1856 publici iuris fecit dissertatio de parodo et epiparodo quamvis praemio ornata tantum afuit ut quicquam promoveret, ut, ne quid acerbius dicam, utilius futurum fuisse documento possit esse, si auctorem ad aliud aliquid quod facere posset praeceptores detrusissent. Eodem modo quo Schmidt spatio tredecim annorum intermisso Westphal in prolegomenis ad tragoedias Aeschyleas Aristotelia illa definitione fundamento usus est, sed ita eam explicavit ut Aristotelem sive auctorem capitis duodecimi poeticae non priscae tragoediae formam, quae Schmidtii fuit sententia, sed recentioris spectare censeret. Et sunt sane quibus haec opinio comprobetur. Verum tamen ob eam ipsam causam ad constituendum parodi ambitum sola illa Aristotelia divisio non sufficere videtur: immo ipsae fabulae inspiciendae sunt. Quamobrem ea quam Myriantheus duce Christio iniit via magis idonea videtur. Is enim in libro quem Marschlieder inscripsit Monachi anno 1873 edito ita de parodo disputavit ut quid statuendum esset de eius vi et natura quoque modo quae ab Aristotele Polluce aliis hac de re traduntur essent explicanda tum demum diceret, postquam in eos numeros et versus satis accurate inquisivisset quos ad incessus chori et histrionum adaptatos videmus.

Etsi his commentationibus quae alucinabantur vel veteres vel recentiores plane remota sunt, de finibus tamen parodorum non satis constare mihi quidem videtur. Quare denuo quaestionem instituere visum est; cum autem non id agam ut quae ab illis recte constituta video retractem, de eis tantum dicam quae ab illis aut omissa aut in transcursu sunt tractata.

Atque parodum quidem quippe quae interposita sit inter absolutas perfectasque tragoediae partes, inter prologum et episodium, et naturae consentaneum est et ab Aristotele confirmatur perfectam esse atque conclusam tragoediae partem. Habet enim ille haec: *ἐπεισόδιον τὸ μεταξὺ δύο ὅλων χορικῶν μελῶν.*

Primum autem episodium inter parodum et stasimum primum interiacet. Parodus ergo etiam Aristotele auctore dramatis pars est clausa et terminata. Nam ὅλον nihil aliud adsignificare atque totum rotundum in se constans iam Schmidtius Reinkens alii fortasse ante eos observarunt. Id quod cum luce clarius sit ita ut demonstrationis non indigeat, per mihi mirum videtur non tam quod sunt qui demonstrare conentur quam quod plures deinceps de eadem re disserunt alio alium non respiciente. Tenendum est igitur ita esse compositam parodum ut membra eius omnia apta inter se sint et convenientia. Qua in re si consistemus, sperari posse videtur fore ut veritas emergat.

Atque primum quoniam de finibus earum parodorum non potest dubitari quae uno chori carmine continentur nonnunquam cum versibus anapaesticis coniuncto, in earum initia et exitus inquirendum est quae commaticae solent appellari, quales sunt quae extant in Aeschyli Prometheo et in Sophocli Electra Philocteta Oedipo Coloneo et, de quibus hoc loco non nisi summatim dicetur, in undecim fabulis Euripidis. Ex quibus una quae in Philocteta reperitur excludenda est item non afferens dubitationem.

Caeterae quando initia capiant iam disseramus. At non opus est, nam post prologos finitos de quibus nihil dubitetur nemo non videt occipere parodos. Fateor, id enim mihi quoque persuasum est, sed quoniam sunt qui monodias post prologi exitum de scaena cantatas a parodis excludendas censeant, nonnulla de illis canticis subiciam.

Atque duas esse causas arbitror cur monodias a parodis segregandas negemus. Altera posita est in tragoediae divisione Aristotelia, qua satis dilucide docemur non esse totas tragoediae partes nisi prologos episodia chorica. Illa ergo ἀπὸ σκηνῆς non magis totae partes tragoediae duci possunt quam commi: de quibus Arnoldtium conferas disserentem in Chor. Technik d. Eurip. 43. Accedit quod Aristotelis prologi definitione prohibemur quominus monodias existimemus tragoediae partes perfectas atque conclusas. Dicit enim ille haec: ἔστι δὲ πρόλογος μὲν μέρος ὅλον τραγῳδίας τὸ πρὸ χοροῦ παρόδου. Parodus autem hoc loco nihil aliud videtur significare nisi introitum chori. Altera causa, quae mihi quidem plus valet, ipsa illorum carminum compositione continetur. Ita enim ea sunt nonnunquam instructa ut non in se constent, sed cum cantu qui sequitur unum

quoddam corpus habeant. Ut monodiam Helenae in cognomine fabula Euripidis a parodo non posse secludi unusquisque, quod videam, confitetur, quia ab Helena stropha, antistropha a choro cantatur ad hoc schema:

Ἑλένη	Χορός	Ἑλ.	Χορ.	Ἑλ.
προῳδός + α	α'	β	β'	ἐπῳδός.

Quodsi hanc monodiam partem esse parodi conceditur, nonne necessitate quadam cogimur ut idem statuamus atque decernamus in caeteris fabulis quarum, quod quidem ad argumentum attinet, monodias actorum et chori cantica in eadem ratione esse perspicuum sit qua Helenae fabulae? Ac ne quis obiciat ipsos versus nonnunquam ita esse comparatos ut monodiam quasi rotunde constructam declarent quippe quae consistat ex stropha et antistropha: ne in commis quidem poetae eam semper servarunt legem ut singulae strophae ab actoribus et choro alternis efferrentur, ut in Andromacha 1165 ss., cf. Troades 307 ss.

Et vero etiam respondet actoris syzygia alteri chori, ut in Troadibus ubi duas Hecubae strophas cum proodo iunctas interpositis duabus alteris inter chorum et histrionem divisis chori duae tertiae secuntur eodem metro anapaestico quo Hecubae syzygia compositae hoc modo:

Ἑκάβη	Χορός	Ἑκ.	Χορός.
προῳδός + αα'	β	β'	γγ'.

Nec minus argumento comprobatur tres eas syzygias coniunctas unam esse rotundam dramatis partem, quia miseratio Hecubae in strophis quae secuntur continuatur; id quod ne Kockium quidem fugit, qui cur non idcirco minus monodiam a parodo seponendam iudicaverit equidem non intellego.

In reliquis non nisi argumentum indicio est cohaerere verba actoris et canticum a choro et histrione alterna vice cantatum atque unum conficere dramatis membrum, velut in Oreste ubi prologum discessu Helenae v. 125 finitum Electrae sequitur soliloquium in cuius exitu chorum adloquitur histrio. Hoc autem adloquium eodem iure cantico sequenti adnumerari debet quo scaenae sequenti verba actoris quibus advenientem alterum consalutat, velut in Oedipo rege ubi Oedipus adfatur advenientem Tiresiam et in Antigona ubi Creon item Haemonem. Cumque

verba ea quibus chorum adloquitur Electra a soliloquio non posse secerni facile intellegatur, eo adducimur ut universos versus Electrae ut integram partem parodi existimemus. Hanc quam perspeximus in fabulis Euripideis cohaerentiam monodiae sive soliloquii et carminis sequentis alternis cantati etiam in Aeschyli Prometheo et in Sophocli Electra inesse non modo non est cur negemus, verum etiam concedere cogimur, nisi si quis forte Aeschylo Sophocle severiorem artificem pronuntiaret Euripidem. In unum enim hic quoddam corpus redegisset duas illas dramatis partes quae sub eandem cadunt rationem, atque causa et effectus. Nam perinde atque in Troadibus in reliquis quoque fabulis monodiam causam continere, nonnunquam etiam exordium esse carminis sequentis, ita ut huius quasi praelusio quaedam dici possit, non videtur esse cur planius commonstrem. Accedit, quod quidem Sophoclem attinet, analogia. Habemus enim in eadem Electra post discessum Clytaemnestrae unam scaenam ex duabus partibus constantem, ex undeviginti trimetris Electrae et carmine commatico, quae tamen nullo pacto dirumpi possint in scaenas duas.

Iam veniamus ad alteram partem huius disputationis, quae eo spectat ut quando finiatur parodus doceamus. Atque constat inter plerosque finiri parodum colloquii melica parte finita. Iniuria, ut arbitror. Unum certe extat exemplum quo haec opinio plane refellatur, quod invenitur in Prometheo. In hac enim fabula fieri non posse iam a Weckleinio et Myriantheo (10) intellectum est ut pars lectica ab altera avellatur episodioque attribuatur. Sequitur ut in caeteris quae huc revocandae sunt parodis idem statuatur. Neque est quicquam in eis quod obstet, quia consimilem habent materiae distributionem. Sed quoniam Euripideas fabulas hoc loco missas facere decrevimus, de duabus tantum Sophocli exponemus, de Electra et Oedipo Coloneo. Atque in illa superiore pars lectica parodi non tam melicae exhibet continuationem quam argumentum eius solutiore quadam oratione repetitum, ut rectissime monuit Nauck. Kockio igitur plane adsentiendum est ex duabus eis partibus parodum constare contendenti (23). Idem, quod quidem nemodum tulit, in alterum cadit iudicium. Nam continuatur tantum colloquium in lectica parodi parte non aliter atque in Prometheo. Accedit aliud aliquid apud me quidem non ita multum valens, aliis ta-

men nescio an vel probabilissimum quod non nisi in lectica demum parodi parte v. 297 δι' ἣν αἰτίαν πάρεστιν dux chori denuntiat, quode mox dicetur.

Neque abhorrere videtur ab hac nostra parodi definitione vox episodii. Episodium enim cum non dubium possit esse quin ab εἰσόδῳ duxerit originem, tum demum potest statui incipere, cum histrio in scaenam vel prodierit vel redierit. Quodsi colloquii quod sequitur novum actorem non cernimus participem, non videtur esse cur episodio id attribuamus. Verum huic argumentationi ipse confiteor non magnam habendam esse fidem. Nam quia episodium aeque ac parodus exodus stasimum technicus est terminus, factum esse posse facile intellegitur ut vis eius ac natura temporum decursu, sicut in exodo diximus, immutaretur.

Haec fere sunt quae ex ipsis tragoediis potui enucleare; nunc videamus quomodo ea cum testimoniis veterum, quae apud Kockium alios invenies collecta, possint consociari. Atque primum quae scholiastae aliique grammatici produnt vel minimi sunt momenti. Alteri enim parodum sentiunt esse carmen inter ipsum incedendum a choreutis cantatum, falso, ut iam pridem intellectum est, alteri id quo cur devenerit chorus indicet, id quod non magis e re natum est. Non enim in prologis solum, sed etiam in episodiis cur in scaenam prodierint actores pronuntiant; hinc igitur eodem iure dicere potuerant manavisse nomen episodii. Alia ratio eorum quae ab Aristotele traduntur, quae sunt haec: χορικοῦ δὲ πάροδος μὲν ἡ πρώτη λέξις ὅλου χοροῦ. Quae verba Westphal non primus omnium fere consensu ita mutavit ut pro ὅλου scriberet ὅλη τοῦ. Iniuria, ut credo, non quo ὅλον μέρος parodum negem, sed quia hanc coniecturam nec necessariam et falsam duco. Ὅλη enim si scripsisset Aristoteles, sequentibus verbis στάσιμον μέλος χοροῦ sine dubio item ὅλον adiunxisset, quod idem fecerat in prologi episodii exodi definitione: C. Kirchhoff Orch. Eurythm. II, 2, 5. Nam quod parodum λέξιν dicit esse, stasimum vero μέλος non ita premendum videtur, quia in episodii definitione has duas quoque dramatis partes *tota carmina* vocaverat: Ἐπεισόδιον δὲ μέρος ὅλον τραγῳδίας τὸ μεταξὺ ὅλων χορικῶν μελῶν: Westphal 58, Myriantheus 139[1]. Quae addidit Westphal (66) ad confirmandam coniecturam ex falsa interpretatione vocis ὅλου

nata esse paene supervacaneum est memorare, quoniam ὅλον non universum denotare, sed totum clausum in se constans supra ostendimus. Falsa autem esse videtur quam constituit Westphal definitio quippe qua omnes eas parodos quas commaticas vocant in parodorum numero ducere prohibeamur. Est quidem eiusmodi parodus lexis vel dictio vel potius actio, sed non chori solius, verum et chori et actorum; quocirca non dicendum fuerat λέξις ὅλη χοροῦ, sed λέξις ὅλη χοροῦ ἢ χοροῦ τε καὶ ὑποκριτῶν. Nam quod aiunt regulam non carere exceptionibus: tot sunt in Sophocli et Euripidis fabulis id genus parodi ut si quis ea ratione rem expedire conetur, is prorsus a probabilitatis specie decedere existimandus sit.

Refutata quam Westphal proposuit emendatione ad pristinam scripturam redeundum est. Habemus igitur: πρώτη λέξις ὅλου χοροῦ. Quae verba, si ὅλου praeterimus, quadrare mihi videntur in descriptionem ex ipsis tragoediis sumptam, quae haec est: et merae parodi et eae quae mixtae videntur rectius vocari quam commaticae partes sunt tragoediarum eaeque totae in quibus chorus aut solus aut vice alterna cum actoribus cantat, nonnunquam etiam loquitur. Quamquam non negaverim angustioribus finibus vim parodi esse circumscriptam, quia histrionum actionis cum chori iunctae mentio non fit. At nullo modo verba Aristotelia ita videntur posse explicari ut cum tragoediis quae supersunt ad amussim conspirent. Sed utut est, quam nos protulimus rationem aptiorem esse vix negandum videtur ad removendum quod interest inter verba philosophi et poetarum opera.

Relinquitur de voce ὅλου. Certum quidem non habeo responsum; in tanta tamen rei ambiguitate vix vituperari poterit, si coniecturae locus dabitur. Placet igitur sic explicare ὅλου χοροῦ ut ὅλου non singulis vocibus, sed singulis chori partibus oppositum existimemus idemque valere putemus ὅλου χοροῦ atque chori nondum divisi. Et pro nobis est chori ratio. Constat enim eum, postquam unum plerumque[1]) corpus efficiens in

---

1) Exceptiones (Pollux IV, 109: ἔσθ' ὅτε δὲ καὶ καθ' ἕνα ἐποιοῦντο τὴν πάροδον), quae regulam non irritam faciunt, non sunt apud Aschylum et Sophoclem nisi in Septem et Oedipo Coloneo. Nam in Eumenidibus non in parodo σποράδην incedunt choreutae, sed in epiparodo.

orchestram introierit, in partes discessisse. Quid igitur est obstaculi quominus factum id esse coniciamus post parodum finitam? Nec desunt in quibus haec coniectura niti possit, longioris tamen sunt temporis quam quod in hac causa consumere licet.

§. 3. De stasimi notione.

Simili modo atque ego in parodo definienda quorum summa est auctoritas viri docti in constituenda stasimi notione progressi sunt. Quamobrem quam nos secuti sumus rationem ut temere quisquam vituperet non fore sperari potest. An in stasimi notione describenda illa ratione uti licuit, in parodi non licebit? Etenim Godofredus Hermann Odofredus Mueller alii non confisi inscientiae scholiastarum, qui ad unum omnes a stando ductum nomen carmini illi impositum esse interpretantur, quae vis voci stasimi sit subiecta anquirentes funditus repudiandas esse grammaticorum illorum ineptias dedocuerunt ipsasque tragoedias fundamento esse statuerunt. Solus Boeckh nescio quo pacto non minus falso quam in parodi ambitu stabiliendo loquacitati doctorum illorum indoctorum aliquid tribuendum censebat, qua in re eorum qui hodie suo iudicio utuntur neminem habebit adsentientem. Omnes enim fere qui his studiis operam navant eam amplectuntur stasimi definitionem quam vocant Hermannianam. Verum ea non Hermanni est, sed Kolsteri (de parabasi 11) ab Hermanno accepta. Hermanni autem verba haec sunt in Epit. D. M. §. 666: „Neque stasimum ab eo quod immotus stet chorus dictum est, sed quod a choro non accedente primum et ordines explicante, sed iam tenente stationes suas canatur". Quae definitio quippe qua carmina chori minora, quae partim hyporchemata partim episodialia nominantur, non distinguantur a stasimis plane est reicienda. Confugiendum ad Muellerianam ab Arnoldtio, quem inspicias velim (chor. Techn. d. Eur. 42. 223 s.), suo iure probatam. Ille autem (Lit. G. II, 66; Eumenid. 84) carmina ea intellexit esse stasima quae tota quadam dramatis parte finita a choro canantur. Cui quidem constitutioni quippe et rei naturae respondenti et in omnes tragoedias perbene quadranti quid est causae cur adsentiri gravemur? Et ne vetere quidem testimonio destituti sumus. Etenim gravis ille anonymus, ex quo manaverunt quae Tzetzes primo capite

libri de poesi tragica conscripti exhibet: Westphal VIII ss., Muellerianae definitioni docuisse videtur similia. Prodit enim Tzetzes haec ab ipso sine ulla dubitatione mutilata atque obscurata v. 46 ss: *Ἔγνως μὲν αὐτὰ στάσιμον δέ μοι μάθε· μετ' εἴσοδον μὲν ἔσχε τὴν τάξιν φέρειν, ἔστ' ἂν τὸ πρῶτον ἐπεισόδιον δρᾶται. τῷ δράματι δ' οὔπω τι τῶν σκυλμῶν μέρος, εἴτουν ἀξιόχρεων μετ' αὐτῶν πάθος.* Magis autem definitio illa placebit, si in ipsa voce stasimi eandem vim ac naturam inesse demonstraverimus quam Mueller supposuit. Atque stasimum non a vocabulo *ἵστημι*, sed a *στάσις* derivatam esse constat; *στάσις* autem opponitur *κίνησις*; motus igitur quo pertineat quaeritur. Ad chorum, omnes qui hac de re scripsere respondent. At altera *κίνησις* reperitur in dramate, motus ipsius dramatis, hoc est actionis scaenicae continuatio. Quare prorsus non intellegitur cur *στάσις* non ad scaenicam actionem revocetur. Quid? quod caeteri qui inveniuntur termini technici eam ipsam quam nos proposuimus interpretationem vocis stasimi postulare videntur? Nam ex eis sola parodus ad chori incessum potest referri [1]), at eadem ad processum actionis, est enim quasi praelusio actionis scaenicae incipientis; exodus vero, qualem quidem agnoscit Aristoteles, et episodium non nisi ad ipsam spectant artem histrionum, quia illa est actionis pars finalis, haec initium significat ipsius actionis vel partis eius cuiusdam. Quae cum ita sint, *στάσις* quoque vox terminus technicus putandus est ex scaenica actione ductus, quem latine quasi stationem actionis appellare licet, ita ut stasima in promptu sit latino nomine vocare carmina ut ita dicam stativa, hoc est tanquam in stationibus quibusdam actionis scaenicae cantata.

Restat ut Aristoteliam definitionem conferamus, quae haec est: *στάσιμον δὲ μέλος χοροῦ τὸ ἄνευ ἀναπαίστου καὶ τροχαίου.* Stasimum igitur dicit esse chori canticum anapaesticis versibus et trochaicis carens — sic omnes interpretantur —. Quodsi in stasimis tragoediarum quae restant nec anapaestici versus nec trochaici strophis interpositi reperiuntur — nam Eumenidum quartum chori canticum non stasimum est, ut Westphal falso coniecit, sed exodus mixta: cf. c. II. §. 4 in fine — sed

1) Huic rei prosodiorum ratio non videtur obesse, quia in dramatis originem num quicquam valuerint in dubium debet vocari.

tantum anapaestica systemata vel praemissa nonnunquam sunt stasimis vel subiecta, sequitur ut haec systemata a stasimis seclusa voluerit philosophus (Myriantheus 116 s) idque non iniuria, quia non integrae cantici partes sunt, sed coniunctiones actionis choricae et scaenicae, de quibus infra dicitur: c. II. §. 3. Idem de versibus trochaicis statuendum videtur, cum eadem ratione eis usos esse poetas atque anapaesticis non prorsus absimile sit, quamquam in tragoediis quae restant eorum usus nullus invenitur. Nam in Persis qui extant hexametri tres chori trochaici nec stasimum et ne parodum quidem secuntur, sed versus anapaesticos ab illa seiungendos: c. II. §. 3. A. At enim dixerunt verba illa *τὸ ἄνευ ἀναπαίστου* ad parodum tragoediarum esse referenda, *ἄνευ τροχαίου* vero ad comoedias. Quasi vero indicia undevis sumere liceat ad eam rem exponendam quae in se habeat satis claram explicationem: Myriantheus 116[5]. Talis est mos quorundam ut quae res non difficilis est cognitu difficilis reddatur, ut habeant cui nova artificia superstruant. Sed haec hactenus. Iam perspicuum est ea quae ab Aristotele traduntur etsi non omnem vim stasimi exprimunt, tamen non pugnare cum definitione ex ipsis tragoediis prompta atque adsumpta.

c. II. De partibus episodiorum.

Episodia dixerunt quidam a Graecis poetis non aliter atque actus a Romanis et recentioribus in scaenas esse distributa, ita ut non nisi vel prodeunte in logeum vel discedente ab eo scaenae termini declararentur. Quo nescio an nihil possit dici inconsideratius. Ignorant enim utrumque, cum illud ne a nostris quidem poetis ad eum modum quem dicunt scaenas esse instructas, tum hoc quae in unum corpus redacta esse apparet tali divisione incommode lacerari. Aliam igitur opus est ingredi viam ad aperiendam rationem quam in componendis episodiis secuti sunt poetae magis idoneam. Atque mihi quidem chorica potissimum actione sicut drama universum ita episodia in singulas partes dividi videntur. Quamobrem qualis sit actio chorica nunc quaeramus. Chorus igitur aut solus agit aut cum histrionibus agit aut histrionibus agentibus interloquitur aut choricam actionem cum scaenica conectit. Ex his actionibus altera, quoniam tum cum non solus agit chorus actoris vice fun-

gitur, non apta est ad separandas episodii partes. Aliter se res habet in caeteris, quare de his singulis deinceps disseremus.

§. 1. De interscaeniis Aeschyleis et Sophocleis.

Solus agit chorus in parodis plerisque et stasimis, quibus drama in episodia dispertiri ante oculos situm est, praeterea in episodiis quotiescunque substitit aliquantulum actio scaenica actoresque aut ex logeo discesserunt aut remanentes cogitationibus defixi obmutuerunt. Has chori actiones quibus episodia describantur in scaenas interscaenia appellari praestat quam hyporchemata episodialia quaeque praeter ea commendantur nomina, quia haec et angustiora sunt nec plane satisfaciunt argumento.

Huc primum referenda sunt ea carmina quae infelici nomine a Byzantino aliquo invento sive perperam adhibito hyporchemata vocantur. Quae quam vim habeant atque facultatem quoque modo melius sint nominanda non huius temporis est; illud tantum monendum in magno versari errore eos qui terminos esse episodiorum ea carmina dicunt in stasimorumque locum succedere. Neque enim discrepantiam senserunt testimoniorum, quibus illi quidem non nihil ponderis afferunt. Etenim Aristoteles praecepit ut nisi stasimis drama non dispertiatur in episodia, scholiasta vero ad Trachinias v. 216 tradit haec: *τὸ γὰρ μελιδάριον οὐκ ἔστι στάσιμον, ἀλλ' ὑπὸ τῆς ἡδονῆς ὀρχοῦνται.* Carmen autem quo haec spectant verba hyporchema vocant; nihilo tamen secius non explicatis quae pugnant inter se stasimi vim ac potestatem ab illo contendunt suscipi. Nugae! Neque vero plus valet quod ad confirmandam sententiam ex ipsis fabulis sumunt indicium, cum dramatis totam partem confectam esse indicari statuunt sicuti stasimis ita hyporchematis. Non enim observant quam habeant ab interscaeniis sive hyporchematis dissimilitudinem stasima. Hoc autem differunt quod stasimum cantatur dramatis tota parte, id est episodio absoluto, interscaenium contra tota parte, verum non dramatis, sed potius episodii, id est scaena finita, ubi *non subsedit actio, sed solum subsistit.* Age sis conferamus omnia secum interscaenia,

ecce nova exsistunt stasima, istorum scilicet sententia, versus dico anapaesticos, velut in Choephoris. Quoniam enim hi eadem ratione atque reliqua carmina minora scaenas definiunt, non esset cur non stasima ducerentur, si vere dixissent docti isti homines carmen unumquodque scaenam claudens pro stasimo habentes. Imprimisque istorum opinio infirmatur atque frangitur carminum de quibus agitur argumentis. In stasimis enim, quae nos quidem vocamus, chorus simulatque a perturbationibus paulum respiravit, aequo tamquam animo sensa cantando exprimit ita ut spectatoris potius vice fungatur, in interscaeniis vero nec minus in interloquiis, de quibus mox, eis quae acta sunt acriter commotus suam magis et agentium vicem quam omnium anxius et laudando atque vituperando et consulendo deosque obtestando, nonnumquam etiam advenientes denuntiando, velut in Trachiniis 216. 970, conectit potius singulas partes quam secernit et quasi continuat actionem.

Recenseamus iam porro singula interscaenia:

A. Aeschylus. (ed. Kirchhoff.)

1. *Persar.* 631—671: *αα' ββ' γγ' δ'*: inferos deos choreutae ut emittant Dareum ipsumque Dareum ut emergat reginae iussu implorant. Unde perspicitur non intermitti actionem. Cur nihilo tamen minus Westphal hoc stasimum carmen appellarit non in obscuro posita causa est. Leges enim is ubique esse voluit legesque invenit non extantes. Ita quattuor carmina chori principalia non indicata causa confirmavit inesse in unaquaque fabula Aeschylea ob eamque quam vocavit regulam, quae mirandum videtur quod non ab omnibus funditus sit repudiata, non potuit sane facere quin stasimum illud carmen agnosceret. Quomodo vero factum sit ut Teuffel ei adsentiretur intellegere sane non possum, praesertim cum quid sibi vellet illud carmen ab Odofredo Muellero iam dudum (Schulzeit. 1832. II 862) commonstratum esse videam. Addi poterat, si necessarium esset, soliloquio non credibile esse confici episodium, quia nullum eius rei extat exemplum; episodium autem habenda esset oratio quae carmen quode agimus antegreditur Atossae, si stasimum illo loco constitueremus.

2. *Supplicum* 403—420: *αα' ββ'*: orat chorus regem ne se sinat ex sede quam ceperat in servitutem vindicari. Quae dum

canuntur, animum regis multae commovent commentationes; subsistit igitur paululum actio scaenica. Quamquam num recte hoc carmen vocarim interscaenium dubitare me confiteor.

3. *Supplicum* 933—946: duodecim dimetri et duo monometri *anapaestici:* postquam regi abeunti gratias egerunt choreutae, ancillas exhortantur ut se collocent. Quae dum fiunt, logeum vacuum est actoribus; discesserat enim ab eo rex necdum redierat Danaus. Habemus igitur merum interscaenium ad vestis mutationem instructam.

4. *Agamemn.* 1285—1325: undecim dimetri et unus monometer *anapaesticus* et amoebaeum: Casandram aedes ingredientem versibus anapaesticis prosequitur chori dux, ubi vero Agamemnonem vulneratum audiverunt choreutae eiulantem, quid faciendum videatur sibi quisque pronuntiant. Itaque vix cessare videtur actio; et quoniam nullus in logeo versatur actor, interscaenium statuere nemo dubitabit.

5. *Choephor.* 700—710: decem dimetri et unus monometer *anapaesticus*: postquam domum intraverunt Orestes et Clytaemnestra, pro illius salute precantur choreutae. Et hos versus anapaesticos et illos de quibus continuo dicetur quippe auribus actorum minime destinatos cave ne ad gressum histrionum credas adaptatos. Cumque proscaenium actoribus vacuum sit, interscaenium videtur agnoscendum.

6. *Choephor.* 848 - 867: *anapaestici* tredecim dimetri et unus monometer et quinque versus iambici (tres trimetri): ubi Aegisthus, qui solus egerat, a scaena discessit, choreutae commoti atque perturbati victoriam precantur Oresti, audito vero ululatu nondum certiores facti utrum Orestes an Aegisthus in certamine succubuerit ut recedant paulisper ab aedibus se ipsi admonent. Consimile ergo Agamemnonis hoc est interscaenium, nisi quod in illo versibus anapaesticis chorus abeuntem prosequitur actorem, in hoc non prosequitur.

B. Sophocles. (ed. Dindorf.)

1. *Aiacis* 693 – 718: *αα'*: postquam solus locutus abiit Aiax, bacchantibus similis cantat saltatque chorus tranquillitatem animi non adsecutus. Quare de stasimo constituendo non potest cogitari, tametsi omnibus personis vacua scaena est. Aliter si iudicares,

soliloquium necesse esset in episodiorum numero haberi, id quod fieri non posse supra ostendimus (ad 1).

2. *Antigonae* 781—800: *αα'*: brevi chori et Creontis colloquio finito simulatque a logeo discessit histrio, Amoris praedicant numen choreutae acrius commoti quam par est in stasimis. Quare ex numero stasimorum hoc carmen videtur excludendum. Quod idem cadit iudicium in interscaenium quod sequitur.

3. *Antigonae* 1115—1154: *αα' ββ'*: Bacchum praedicant atque obsecrant choreutae, cum primum Creon abiit.

4. *Trachiniar.* 205—224: *α'*: dum Deianira Licham in proscaenio expectat, quem venturum esse nuntius indicaverat, gaudio exsultat chorus cantumque canit laetissimum, cuius extrema in parte *adventus nuntiatur* mulierum captarum Lichaeque: v. 222 *ἴδ, ὦ φίλα γυναικῶν, τάδ' ἀντίπρῳρα δή σοι βλέπειν πάρεστ' ἐναργῆ.* Quodsi nullo fere temporis intervallo interceptam cernimus actionem, stasimum esse hoc carmen cum scholiasta omnino negari debet.

5. *Trachiniar.* 497—530: *αα' β'*: laudes gratesque Veneri agit chorus perinde atque in aliis interscaeniis Apollini Baccho Amori. Non esse igitur causa videtur cur de hoc carmine aliter iudicemus atque de illis. Nam nihil referre utrum vacua sit actoribus scaena necne ex eis quae adhuc disputavimus apparet.

6. *Trachiniar.* 947—970: *αα' ββ'*: nutrix in aedes rediit, chorus vero eis quae ab illa narrata sunt concitatus quid primo queratur nescit, ut procella auferatur optat deinde ne videre cogatur dominum atroci dolore laborantem, postremo Hyllum et senem et servos feretro Herculem deferentes antistropha secunda prosequitur. Quo carmine quod stasimum possit existimari nullum vel vix ullum invenitur minus idoneum.

7. *Philoctetae* 827—864: *αα' β'*, inter stropham et antistropham interiecti sunt quattuor hexametri dactylici a Neoptolemo pronuntiati, totidem excidisse post antistropham facilis est iamdudum facta coniectura: Neoptolemo consulit chorus ut eripiat arma Philoctetae dormienti. Qui stasimum hoc carmen dixerunt eos refutando non obtundam lectorem; tantum enim abest ut pro stasimo id possit haberi, ut dubitari liceat num recte vocetur interscaenium.

§. 2. De interloquiis Aeschyleis et Sophocleis.

Veniamus nunc ad interloquia. Nam interloquia eos versus a chori duce recitatos nominandos censeo quibus actio histrionum interrumpitur.

A. Eorum usus rarus apud *Aeschylum*:

1. *Persar.* 513 s: duo *trimetri* iambici: postquam nuntius declaravit quanta mala perpessus esset exercitus Persarum, non potuit chorus a se impetrare quin exclamaret: *ὦ δυσπόνητε δαῖμον, ὡς ἄγαν βαρὺς ποδοῖν ἐνήλλου παντὶ Περσικῷ γένει.*

2. *Persar.* 834 s: duo *trimetri* iambici: ubi Darei umbra disparuit, hos versiculos effundit chorus: *ἦ πολλὰ καὶ παρόντα καὶ μέλλοντ᾽ ἔτι ἤλγησ᾽ ἀκούσας βαρβάροισι πήματα.*

3. *Septem* adversus Thebas: *strophas* post singulas nuntii et Eteocli orationes a choro cantatas quoniam eodem modo quo reliqua interscaenia ad distinguendas singulas scaenae particulas accommodatas videmus, in interloquiorum numero reponendas puto.

4. *Promethei* 1035 ss: quattuor *trimetri* iambici: post Mercurii orationem ut obsequatur Prometheo suadet chorus: *ἡμῖν μὲν Ἑρμῆς οὐκ ἄκαιρα φαίνεται λέγειν ... πιθοῦ κτλ.* His interscaeniis vel scaenas vel scaenae particulas discretas quin voluerit Aeschylus non videtur posse in dubium vocari. Nam in Persis etsi non constat ante alterum interloquium nuntius abierit necne, illud tamen non negandum est rationem eius iam nullam haberi; in Prometheo vero quamquam restant qui aderant actores, novum tamen actionis membrum post interscaenium incipere variatis metris — secuntur enim versus anapaestici — sat luculenter significari videtur.

B. Alia interscaeniorum usurpatio *Sophoclea* est. Quamquam enim non desunt in huius fabulis ea interscaenia quibus membra scaenae definiantur, interdum tamen post longiorem actoris orationem ita interloquitur chorus ut respirandi quasi tempus aliquod spectatoribus poeta maluisse videatur concedere quam subtiliorem spectare dramatis divisionem. Quamobrem in enumerandis interscaeniis Sophocleis ad hunc modum versabor ut

paucis moneam de eis quae ad dividendum adaptata esse videantur, de reliquis omittam quicquam subiungere:

1. *Aiacis* 428 s: *trimetri*: cantus Aiacis ab orationibus Aiacis et Tecmessae discernitur duobus trimetris iambicis chori vel potius chori ducis, quibus intellegere se dicit verbis non posse consolari Aiacem: *οὔτοι σ᾽ ἀπείργειν, οὐδ᾽ ὅπως ἐῶ λέγειν ἔχω, κακοῖς τοιοῖσδε συμπεπτωκότα.*

2. *Aiacis* 525 s: *trimetri:* ab eisdem orationibus intercludi videtur stichomythia consequens duobus versiculis chori ducis ut Tecmessae obsequatur Aiaci consulentis: *Αἴας, ἔχειν σ᾽ ἂν οἶκτον ὡς κἀγὼ φρενὶ θέλοιμ᾽ ἄν· αἰνοίης γὰρ ἂν τὰ τῆσδ᾽ ἔπη.*

3. *Aiacis* 481 ss: *trimetri:* interpositi sunt inter illas orationes quattuor trimetri iambici a chori duce pronuntiati ut sententiam suam mutet Aiacem oranti: *οὐδεὶς ἐρεῖ . . . παῦσαί γε μέντοι κτλ.*

4. *Aiacis* 583 s: *trimetri*: post orationem Aiacis chorus: *δέδοικ᾽ ἀκούων τήνδε τὴν προθυμίαν· οὐ γάρ μ᾽ ἀρέσκει γλῶσσά σου τεθηγμένη.*

5. *Aiacis* 1091 s: *trimetri:* Menelao diu locuto ne superbiat suadet coryphaeus: *Μενέλαε, μὴ . . . ὑβριστὴς γένῃ.*

6. *Aiacis* 1118 s: *trimetri:* item Teucro: *οὐδ᾽ αὖ τοιαύτην γλῶσσαν ἐν κακοῖς φιλῶ. κτλ.*

7. *Aiacis* 1264 s: *trimetri:* post orationem Agamemnonis ut sibi temperent monet chorus: *εἴθ᾽ ὑμὶν ἀμφοῖν νοῦς γένοιτο κτλ.*

8. *Aiacis* 1316 s: *trimetri:* Teucri oratione finita advenientem Ulixem consalutat coryphaeus duobus trimetris iambicis, a quibus nova scaena exorditur: *ἄναξ Ὀδυσσεῦ, καιρὸν ἴσθ᾽ ἐληλυθὼς, κτλ.*

9. *Aiacis* 1374 s: *trimetri:* item scaenam quae sequitur post Agamemnonis abitum duo praegrediuntur versiculi chori Ulixi gratias agentis: *ὅστις σ᾽, Ὀδυσσεῦ, μὴ λέγει γνώμῃ σοφὸν φῦναι κτλ.*

10. *Antigonae* 278 s: *trimetri*: postquam custos quae facta essent renunciavit, duobus chori versibus non sine deorum auxilio illa evenisse declarantis (*ἄναξ, ἐμοί τοι μή τι καὶ θεήλατον κτλ.*) tanta ira Creon incensus est ut contionem haberet obiurgationum minarumque plenam. Qua finita alterum incipit custodis et Creontis colloquium. Quae cum ita sint, ab interloquio illo novam scaenae particulam non latet exordiri.

11. *Antigonae* 471 s: *trimetri:* Antigona simulatque loqui desiit, vituperatur a chori duce: *δηλοῖ τὸ γέννημ' ὠμὸν ἐξ ὠμοῦ πατρὸς κτλ.* Quo interloquio scaena in particulas videtur seiungi.

12. *Antigonae* 681 s: *trimetri:* post orationem Creontis robur animi regis admiratur chorus: *ἡμῖν μὲν... λέγειν φρονούντως ὧν λέγεις δοκεῖς πέρι.*

13. *Antigonae* 724 s: *trimetri:* post Haemonis excusationem ut in mutuo se habeant honore chorus admonet utrumque: *ἄναξ, σέ τ' εἰκός, εἴ τι καίριον λέγει, μαθεῖν, σέ τ' αὖ τοῦδ'· κτλ.*

14. *Antigonae* 929 s: *anapaestici:* unus dimeter et unus monometer: oratio Antigonae subit chori vituperationem: *ἔτι τῶν αὐτῶν ἀνέμων ῥιπαὶ τήνδ' ἐπέχουσιν.* Ab hoc interloquio novam scaenae particulam incipere mutatum metrum indicio est.

15. *Electrae* 368 ss: tres *trimetri:* post Electrae orationem: *μηδὲν πρὸς ὀργήν, πρὸς θεῶν κτλ.*

16. *Electrae* 464 s: *trimetri:* quae Electra dixerat probans chorus ut obsequatur suadet Chrysothemidi: *πρὸς εὐσέβειαν ἡ κόρη λέγει· σὺ δὲ... δράσεις τάδε.*

17. *Electrae* 610 s: *trimetri:* Electram non dubito quin vituperet chorus propter orationem ab ea habitam: *ὁρῶ μένος πνέουσαν· εἰ δὲ σὺν δίκῃ ξύνεστι, τοῦδε φροντίδ' οὐκέτ' εἰσορῶ.*

18. *Electrae* 764 s: *trimetri:* Eis quae paedagogus enarravit sic est perturbatus chorus ut facere non posset quin questus cohiberet: *φεῦ φεῦ· τὸ πᾶν δὴ... ἔφθαρται γένος.* Ab his chori versibus novam scaenae particulam capere initium eo potissimum perspicitur quod non tam continuatur narratio quam quomodo et Clytaemnestrae et Electrae animus nuntio illo permoveatur a poeta describitur.

19. *Electrae* 990 s: *trimetri:* Electrae orationem consequitur chori adhortatio: *ἐν τοῖς τοιούτοις ἐστὶν ἡ προμήθεια καὶ τῷ λέγοντι καὶ κλύοντι σύμμαχος.*

20. *Electrae* 1015 s: *trimetri:* Chrysothemis postquam orationem finivit, Electram admonet chorus ut sorori obtemperet: *πιθοῦ· προνοίας οὐδὲν κτλ.*

21. *Electrae* 1171 ss: tres *trimetri:* Electra ubi cum Oreste collocuta a servis eius urnam accepit, qua inclusum cinerem suum esse Orestes simulabat, longum habuit soliloquium; quo finito priusquam novum occipit colloquium, Electram consolatur chori dux: *θνητοῦ πέφυκας πατρός, Ἠλέκτρα, φρόνει. κτλ.*

Tres sunt igitur scaenae particulae, ab altera tertia chori interloquio semota.

22. *Oedipi regis* 404—407: *trimetri:* post Creontis orationem utrumque actorem vituperat chorus quod animi impetu abreptus dixerit.

23. *Oedipi regis* 616s: *trimetri:* post Creontis orationem regem adloquitur chorus oratque ne contemnat quae prudenter dixerit Creon: *καλῶς ἔλεξεν εὐλαβουμένῳ πεσεῖν, ἄναξ· κτλ.* Quo interscaenio nescio an secretam voluerit scaenam poeta.

24. *Oedipi regis* 834s: *trimetri:* post orationem Oedipi regem consolatur chorus: *ἡμῖν μέν, ὦναξ, ταῦτ᾽ ὀκνήρ᾽ . . . ἔχ᾽ ἐλπίδα.*

25. *Trachiniar.* 291s: *trimetri:* post Lichae orationem coryphaeus haec: *ἄνασσα, νῦν σοι τέρψις ἐμφανὴς κυρεῖ κτλ.*

26. *Trachiniar.* 470s: *trimetri:* post Deianirae orationem Licham admonet chorus ut dicto audiens sit: *πιθοῦ λεγούσῃ χρηστὰ κτλ.*

27. *Trachiniar.* 813s: *trimetri:* post Hylli orationem abeuntem vituperat chorus Deianiram: *τί σῖγ᾽ ἀφέρπεις; κτλ.* Quo interscaenio scaenae particulam claudi vix necessarium videtur memorare.

28. *Trachiniar.* 1044s: *trimetri:* post cantum Herculis ob dolores dominum commiseratur chori dux: *κλύουσ᾽ ἔφριξα τάσδε συμφοράς, φίλαι, ἄνακτος κτλ.* Novam scaenae particulam hoc interloquio incipere etiam metri immutatione indicatur.

29. *Trachiniar.* 1112s: *trimetri:* post orationem Herculis Graeciam queritur chorus Hercule mortuo in magnis luctibus futuram: *ὦ τλῆμον Ἑλλάς, πένθος οἷον εἰσορῶ κτλ.* Quia interpositi sunt hi versiculi inter Herculis lamentationes et colloquium quod sequitur, ad secernendum apparet interloquium illud esse adaptatum.

30. *Philoctetae* 317s: *trimetri:* post orationem Philoctetae fortunam eius miseratur chorus: *ἔοικα κἀγὼ τοῖς ἀφιγμένοις ἴσα ξένοις ἐποικτείρειν σε κτλ.*

31. *Philoctetae* 391ss: *stropha α:* post orationem Neoptolemi Tellurem invocat chorus ut dominum suum ulciscatur: *ὀρεστέρα παμβῶτι Γᾶ, κτλ.*

32. *Philoctetae* 507ss: *antistropha α':* post orationem Philoctetae domino suo supplicat chorus ut domum illum deducat:

οἴκτειρ', ἄναξ· κτλ. Strophas *αα'* quas eadem ratione comparatas esse videamus qua reliqua interloquia non est cur eodem nomine vocare dubitemus. His tribus quae modo commemoravimus interloquiis scaena dividitur in particulas quattuor: in una narratur quae perpessus sit Philoctetes, in altera quae Neoptolemus, in tertia Philoctetes misericordiam implorat Neoptolemi, in quarta optatis illius respondet Neoptolemus.

33. *Philoctetae* 963 s: *trimetri:* post orationem Philoctetae quid fieri oporteat quaerit chorus ex domino: *τί δρῶμεν; κτλ.* Quo interloquio mihi quidem scaena seiungi videtur; in altera enim eius parte patefacta fraude maledicta Philoctetes conicit in Neoptolemum, quibus labefactum in altera eum obsecrat ut reddat arma.

34. *Philoctetae* 1045 s: *trimetri:* post orationem Philoctetae chorus: *βαρύς τε καὶ βαρεῖαν ὁ ξένος φάτιν τήνδ' εἶπ' κτλ.* Quibus verbis item scaena separatur; una enim eius particula altercatione continetur Ulixis et Philoctetae, altera maledictione Philoctetae, tertia ab Ulixe mutato consilio.

35. *Oedipi Colonei* v. 629 s: *trimetri:* post orationem Oedipi quae antehac pollicitus sit advena chorus commemorat: *ἄναξ, πάλαι καὶ ταῦτα . . . ἐφαίνετο.* Quo interloquio in duas particulas scaenam dividi fortasse statuendum sit.

36. *Oedipi Colonei* v. 937 s: *trimetri:* post orationem Thesei Creontem his verbis chorus adloquitur: *ὁρᾷς ἵν' ἥκεις, ὦ ξέν' κτλ.*

37. *Oedipi Colonei* v. 1014 s: *trimetri:* post orationem Oedipi regem implorat chorus ut illius misereatur: *ὁ ξεῖνος, ὦναξ, χρηστός· . . . ἄξιαι δ' ἀμυναθεῖν.* His duobus interloquiis orationes Creontis et Oedipi circumcluduntur ita ut scaena in tres partes describatur.

38. *Oedipi Colonei* v. 1346 s: *trimetri:* post orationem Polynicis ut respondeat filio Oedipo suadet chorus: *τὸν ἄνδρα, τοῦ πέμψαντος οὕνεκ', Οἰδίπους, εἰπὼν ὁποῖα ξύμφορ' ἔκπεμψαι πάλιν.*

39. *Oedipi Colonei* v. 1397 s: *trimetri:* post orationem Oedipi dignum esse quem doleat dicit chorus Polynicem: *Πολύνεικες, οὔτε ταῖς παρελθούσαις ὁδοῖς ξυνήδομαί σοι, νῦν δ' ἴθ' ὡς τάχος πάλιν.* Haec duo interloquia orationi circumdedit poeta Oedipi, qui nec antea nec postea colloquii fit particeps.

Quare tres sunt agnoscendae scaenae particulae chorica actione secretae.

§. 3. De coniunctionibus dramaticis.

Satis dictum esse arbitror et carmina principalia et interscaenia et interloquia ad dirimendas actionis scaenicae partes accommodatas esse. Restat ut de coniunctionibus dramaticis exponamus, hoc est de eis a chori duce plerumque pronuntiatis versibus quibus vel chorica actio cum scaenica vel scaenica cum chorica iungitur vel singulae actionis scaenicae partes inter se cohaerent.

Nam drama Graecorum in duas potissimum partes potest dividi, in actionem choricam, quae in parodis plerisque et stasimis et interscaeniis conspicitur, et in actionem scaenicam, quam perficiunt histriones aut soli aut cum choro coniuncti. Media quadam conditione et reliquae parodi sunt et carmina ab histrionibus et choro alternis cantata, quae tamen ad choricam actionem propius accedere videntur.

Atque exordium capiamus ab eis coniunctionibus quae cum sint articuli quasi actionis choricae et scaenicae, coniunctiones κατ' ἐξοχὴν vocare licet. Quarum duo sunt genera, unum quo chorica actio conectitur cum scaenica, alterum quo transitus fit ab scaenica actione ad chori cantum. Sed de illo superiore prius dicatur.

A. De primo genere coniunctionum.

a. Ex quo genere sunt in fabulis *Aeschyleis:*

1. *Persar.* 140 ss. post parodum: duodecim dimetri et tres monometri (4 syst.) *anapaestici* chori: adventus Atossae a chori duce nuntiatur: ἀλλ' ἥδε θεῶν ἴσον ὀφθαλμοῖς φάος ὁρμᾶται μήτηρ βασιλέως *).

2. *Supplicum* 788 ss post stasimum tertium: septem versus *melici* magna ex parte corrupti chori — melicos autem voco qui nec anapaestici versus sunt nec trochaici tetrametri nec iambici tri-

*) Ut anapaestici versus cum in reliquis fabulis tum in Persis indicio sunt cum solemnitate quadam procedere histriones, ita non modo trochaici, sed etiam nonnumquam iambici, velut in Septem (σπουδῇ διώκων), accurrere actores declarant: qua de re ut nunc nemo dubitet Christii Myriantheique commentationibus factum est.

metri —: adventus item praeconis: *ὁ ὁ ὁ ά ά ά ὅδε μάρπις νάϊος γάϊος κτλ.*

3. *Septem* 352 ss. post stasimum primum: sex *trimetri* iambici chori: adventus nuntii atque Eteocli: *ὅ τοι κατόπτης, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, στρατοῦ πευθώ τιν' ἡμῖν, ὦ φίλαι, νέαν φέρει, σπουδῇ διώκων πομπίμους χνόας ποδῶν. καὶ μὴν ἄναξ ὅδ' αὐτὸς κτλ.**)

4. *Septem* 840 ss. post stasimum tertium: duodecim dimetri et unus monometer (2 syst.) *anapaesticus* chori: adventus Antigonae et Ismenae: *ἀλλὰ γὰρ ἥκουσ' αἵδ' ἐπὶ πρᾶγος πικρὸν Ἀντιγόνη τ' ἠδ' Ἰσμήνη.*

5. *Agamemn.* 467 ss. post stasimum primum: quattuordecim *trimetri* iambici chori: adventus praeconis: *κήρυκ' ἀπ' ἀκτῆς τόνδ' ὁρῶ κτλ.*

6. *Agamemn.* 747 ss. post stasimum secundum: viginti quattuor dimetri et tres monometri (6 syst.) *anapaestici:* adveniens Agamemno a chori duce consalutatur: *ἄγε δή, βασιλεῦ, Τροίας πτολίπορθ', Ἀτρέως γένεθλον, πῶς σε προσείπω; κτλ.*

7. *Choephoron* 462 ss. his nescio an adnumerare debeam tres dimetros (1 syst.) *anapaesticos* chori qui commum secuntur: *ἀλλὰ κλύοντες, μάκαρες χθόνιοι, τῆσδε κατευχῆς πέμπετ' ἀρωγὴν παισὶν προφρόνως ἐπὶ νίκῃ.* Videntur enim non iam esse pars integra cantici mixti, quod fere idem valere atque canticum solius chori supra diximus.

8. *Choephoron* 711 ss. post interscaenium episodii secundi: quattuor *trimetri* iambici chori: advenientem nutricem se cernere dicit coryphaeus progressamque adloquitur: *ἔοικεν ἁνὴρ ὁ ξένος τεύχειν κακόν· τροφὸν δ' Ὀρέστου τήνδ' ὁρῶ κεκλαυμένην. ποῖ δὴ πατεῖς, Κίλισσα, κτλ.*

b. In *Sophocleis* autem fabulis inveniuntur hae:

1. *Aiacis* 974 s. post epiparodum mixtam: duo *trimetri* iambici chori: adventus Teucri a coryphaeo nuntiatur: *σίγησον. αὐδὴν γὰρ δοκῶ Τεύκρου κλύειν κτλ.*

2. *Antigonae* 155 ss. post parodum: quinque dimetri et duo monometri (1 syst) *anapaestici* chori: adventus Creontis: *ἀλλ' ὅδε γὰρ δὴ βασιλεὺς χώρας, Κρέων . . . χωρεῖ κτλ.*

3. *Antigonae* 375 ss. post stasimum primum: *anapaestici* septem dimetri et unus monometer (1 syst.) chori: adventus custodis et Antigonae: *ἐς δαιμόνιον τέρας ἀμφινοῶ τόδε, πῶς εἰδὼς ἀντιλογήσω τήνδ' οὐκ εἶναι παῖδ' Ἀντιγόνην κτλ.*

4. *Antigonae* 626 ss. post stasimum secundum: quattuor dimetri (1 syst.) *anapaestici* chori: adventus Haemonis: *ὅδε μὴν Αἵμων κτλ.*

5. *Antigonae* 801 ss. post interscaenium episodii tertii: quinque dimetri (1 syst.) *anapaestici* chori: adventus Antigonae: *τὸν παγκοίταν ὅθ' ὁρῶ θάλαμον τήνδ' Ἀντιγόνην ἀνύτουσαν.*

6. *Electrae* 324 ss. post parodum: quattuor *trimetri* iambici chori: adventus Chrysothemidis: *μὴ νῦν ἔτ' εἴπῃς μηδέν· ὡς δόμων ὁρῶ τὴν σὴν ὅμαιμον . . . Χρυσόθεμιν κτλ.*

7. *Trachiniar.* 863 ss. post stasimum secundum: sex *trimetri* iambici (amoebaeum) chori: adventus nutricis: *χωρεῖ πρὸς ἡμᾶς γραῖα σημανοῦσά τι.*

8. *Philoctetae* 1218 ss. post stasimum secundum: quattuor *trimetri* iambici chori: adventus Ulixi et Neoptolemi: *εἰ μὴ πέλας Ὀδυσσέα στείχοντα τὸν δ' Ἀχιλλέως γόνον πρὸς ἡμᾶς δεῦρ' ἰόντ' ἐλεύσσομεν.*

9. *Oedipi Colonei* v. 311 ss. post parodum: duodecim *trimetri* iambici Oedipi et Antigonae: adventus Ismenae: *γυναῖχ' ὁρῶ . . . παῖδα σὴν κτλ.*

10. *Oedipi Colonei* v. 549 s. post canticum mixtum episodii primi: duo *trimetri* iambici chori: adventus Thesei: *καὶ μὴν ἄναξ ὅδ' ἡμὶν Αἰγέως γόνος Θησεὺς . . . πάρα.*

11. *Oedipi Colonei* v. 720 ss. post stasimum primum: octo *trimetri* iambici Antigonae Oedipi chori: adventus Creontis: *ἆσσον ἔρχεται Κρέων ὅδ' κτλ.*

12. *Oedipi Colonei* v. 1096 ss. post stasimum secundum: tres *trimetri* iambici chori: adventus Antigonae (et Ismenae) et Thesei: *τὰς κόρας γὰρ εἰσορῶ τάσδ' ἆσσον αὖθις ὧδε προσπολουμένας.*

13. *Oedipi Colonei* v. 1249 ss. post stasimum tertium: quinque *trimetri* iambici Antigonae et Oedipi: adventus Polynicis: *πάρεστι δεῦρο Πολυνείκης ὅδε.*

Has quas modo exhibui coniunctiones dramaticas numquam fere non ad adventus actorum nuntiandos comparatas esse cum facile intellegatur, nemodum dubitavit a cantico chori secludere adnumerareque episodio consequenti. Cum autem scaenam non lateat non posse incipere, antequam in logeo constiterit actor, coniunctiones illas articulos quosdam esse episodii in se constantes consectarium est. Illud unum hoc loco addi iuvat in Oedipo Coloneo pro peculiari huius fabulae forma non mirandum

esse quod ab Antigona et Oedipo chori partes suscipiantur indiceturque qui adventuri sint actores, quia peregrini sunt hi choroque ignoti.

B. De altero genere coniunctionum.

Iam quaeramus de altero genere coniunctionum. Quae in *Aeschyleis* tantum fabulis inveniuntur his locis:

1. *Persar.* 530 ss. ante stasimum primum: quattuordecim dimetri et duo monometri (4 syst.: Christ Theilung des Chors 36) *anapaestici:* ut nunc multae deflent Persides mortem una cum exercitu ingenti perditorum coniugum, sic nos deploremus eorum qui perierunt fatum luctuosum. Quae simulac pronuntiata sunt a coryphaeo, universus chorus occipit cantare: *νῦν δὲ πρόπασα μὲν στένει γαῖ' Ἀσιὰς ἐκκενουμένα κτλ.*

2. *Persar.* 621 ss. ante interscaenium episodii secundi: novem dimetri et unus monometer (2 syst.) *anapaesticus*: reginae respondens obtemperaturum se monitis chori dux denuntiat Telluremque et Mercurium et Plutonem implorat ut sint propitii: tum ipsum carmen sequitur evocationi dedicatum.

3. *Supplicum* 605 ss. ante stasimum secundum: quinque dimetri (1 syst.) *anapaestici:* exhortatur dux choreutas ut laeta precentur populo Argivo; quae preces stasimo sequenti continentur.

4. *Supplicum* 981 ss. ante exodum choricam: quattuor *trimetri* iambici: quod ad virginitatis decus sustinendum attinet ut bono sit animo patrem orat dux chori; quae quidem coniunctio epilogi similior est quam introductionis.

5. *Septem* 804 ss. ante stasimum tertium: octo dimetri et duo monometri (2 syst.) *anapaestici*: nescire se dicit coryphaeus utrum gaudeat ob servatam urbem an defunctos defleat imperatores. His dictis chorus lugubre carmen incipit.

6. *Agamemn.* 342 ss. ante stasimum primum: *anapaestici* undecim dimetri et unus monometer (3 syst.): Iovem regem invocat chori dux noctemque et Iovem hospitalem veneratur qui ultor extiterit; quibus versibus splendide ad stasimum transitur.

7. *Choephoron* 298 ss. ante commum, cf. supra A. 7: octo dimetri et unus monometer (3 syst.) *anapaesticus:* Parcas invocat chorus precibus ut Iove adiutore fiant quae iusta sint: *ἀντὶ μὲν ἐχθρᾶς γλώσσης ἐχθρὰ γλῶσσα τελείσθω . . . ἀντὶ δὲ πληγῆς*

φονίας φονίαν πληγὴν τινέτω κτλ. Tum planctus ipse incipit.

8. *Choephoron* 924 ss. ante stasimum tertium: quattuor *trimetri* iambici: dum matrem ad mortem ducit Orestes, haec loquitur coryphaeus: στένω μὲν οὖν καὶ τῶνδε συμφορὰν διπλῆν . . . τοῦθ' ὅμως αἱρούμεθα κτλ.; preces autem subsecuntur.

9. *Choephoron* 1060 s. ante exodium: duo *trimetri* iambici: abeunti Oresti ut propitii sint dei orat chori dux: ἀλλ' εὐτυχοίης, καί σ' ἐποπτεύων πρόφρων θεὸς φυλάσσοι καιρίοισι συμφοραῖς.

10. *Eumenidum* 303 ss. ante stasimum primum: *anapaestici* tredecim et unus monometer (5 syst.): ἄγε δὴ καὶ χορὸν ἅψωμεν exhortatur dux choreutas causamque adicit cur cantaturi sint.

Has coniunctiones non aliter atque illas de quibus supra dictum est, quia a coryphaeo solent pronuntiari nec magis quam par est cum cantico quod sequitur cohaerent, episodio antecedenti tribuendas arbitror. Qua in re non sum nescius Westphalium in Prolegomenis (53 ss.) versus illos anapaesticos ita explicasse ut introductiones eos diceret esse integramque partem carminis consequentis. Quid ergo? Trimetri illi iambici qui in Choephoris inveniuntur ante stasimum tertium non habent eandem vim atque hypermetra anapaestica eodemque modo cum cantico sequenti cohaerent? Absurdum id quidem. Excludendae sunt igitur omnes id genus coniunctiones ab ipsis canticis. An tu existimas illos quoque trimetros ut integram partem stasimis adnumerari posse? Nec minus refellitur opinio ista ipsa stasimorum compositione. Ita enim ea sunt constructa ut ἀρχὴν habeant et μέσον et τελευτὴν non habita ratione coniunctionum quae antecedunt; id quod ne Westphalium quidem fugit, qui non systemata anapaestica ac strophas, sed *solas strophas* similiter constructas esse statuebat atque nomum Terpandri. At enim introductiones sunt versus illi anapaestici pariter atque ei qui in parodis canticum praecedunt. Fateor, sed etiam coniunctiones quae est earum natura sunt introductiones et multum interest inter stasima et parodos. In parodis enim non possunt esse introductiones, quia tunc primum chorus procedit legitimumque suum in orchestra occupat locum. Accedit aliud aliquid in argumento positum, quod mihi quidem vel maximo momento est. Namque in stasimis supra commonstravimus aequo chorum animo esse oportere ut canticum sit modicum ac temperatum.

Atqui et in interscaeniis de quibus supra dictum est et in his coniunctionibus maiorem aequo cernimus animi commotionem. Ex quo efficitur ut ad animi tantum moderationem verba illa instituta credamus ab ipsoque carmine distinguamus. Perpulchrum huius rei exemplum in Persis est ante stasimum secundum; aliud item in Agamemnone ante stasimum primum ipse Westphal indicavit non observans interpretatione sua nihil esse utilius ad suam ipsius confirmationem diluendam [1]).

C. De tertio genere coniunctionum.

Praeter has quas enumeravimus coniunctiones tertium genus invenitur coniunctionum dramaticarum; quibus non tam actio chorica cum scaenica et versa vice coniungitur quam singulae scaenae inter se nexae sunt. Earum usus apud Aeschylum nullus, apud *Sophoclem* his locis:

1. *Aiacis* 813 s: duo *trimetri* iambici: post discessum Tecmessae choro ab orchestra abeunte haec dixit dux: *χωρεῖν ἑτοῖμος, κοὐ λόγῳ δείξω μόνον. τάχος γὰρ ἔργου καὶ ποδῶν ἅμ' ἕψεται.* Quae verba num recte coniunctionibus dramaticis adnumerentur etsi dubitari licet, tamen quoniam discessu chori transitus quasi fit ad soliloquium Aiacis, aequius videbatur in harum reponi numero.

2. *Antigonae* 526 ss: *anapaestici* quattuor dimetri et unus monometer (1 syst.): post episodii secundi scaenam primam adventus Ismenae a chori duce nuntiatur: *καὶ μὴν πρὸ πυλῶν ἥδ' Ἰσμήνη κτλ.*

3. *Antigonae* 1257 ss: quattuor dimetri (1 syst.) *anapaestici:* post exodi scaenam secundam adventus item Creontis: *καὶ μὴν ὅδ' ἄναξ αὐτὸς ἐφήκει κτλ.*

---

1) Proleg. 118. Der Chor steht zunächst unter dem Eindruck der freudigen Nachricht vom Siege des Agamemnon über die Priamiden. Unter diesem Eindrucke sind auch die Worte des Dankes an Zeus den Koenig in den das Stasimon einleitenden Anapaesten gesprochen. Aber bei dem tief tragischen Tone, der durch das ganze Stück sich hindurchzieht, ist es nicht sowohl die Empfindung des Siegesjubels, welche den Chor beherrscht, als vielmehr der ethische Gedanke, dass die Gerechtigkeit gesiegt, dass Zeus am Verräther Paris die endliche Rache genommen hat. Dies spricht sich schon am Schluss der Anapaesten aus und auf denselben Gedanken sind die Strophen des Chorliedes basirt.

4. *Oedipi regis* 631 ss: tres *trimetri* iambici: post episodii secundi scaenam secundam item adventus Iocastae: παύσασϑ' ἄνακτες· καιρίαν δ' ὑμῖν ὁρῶ τήνδ' ἐκ δόμων στείχουσαν Ἰοκάστην κτλ.

5. *Oedipi regis* 1297 ss: *anapaestici* novem dimetri et unus monometer (2 syst.): post exodi scaenam primam egredientem Oedipum versibus anapaesticis prosequitur chori dux: ὦ δεινὸν ἰδεῖν πάϑος ἀνϑρώποις, ὦ δεινότατον πάντων ὅσ' ἐγὼ προσέκυρσ' ἤδη. τίς σ', ὦ τλῆμον, προσέβη μανία; κτλ.

6. *Philoctetae* 539 ss: tres *trimetri* iambici: post episodii primi scaenam primam adventus mercatoris a chori duce nuntiatur: ἐπίσχετον, μάϑωμεν· ἄνδρε γὰρ δύο κτλ.

Haec chori dicta quibus duae scaenae non tam discernantur quam iungantur copulenturque coniunctiones rectius videntur nominari quam interloquia, quia haec sunt intercapedines actionis. Quod nomen (interloquii), ut hoc quoque addam, ne ad illos quidem puto convenire versiculos qui in ea scaena cuius chorus particeps est a duce eius pronuntiantur. Interumpere enim perinde ac coniungere eius esse nemo non videt qui actionis particeps non est. Ob eandem causam etiam illi versus qui vel ab actore vel quotiescunque huius vice fungitur, a choro in fine scaenae recitantur advenientem alterum tertiumve actorem indicantes non coniunctiones, sed transitiones debent appellari. Excipiendi sunt ei qui melicam scaenam mixtam secuntur, hoc est alternis a choro et histrione peractam, quam (plerumque iniuria: Westphal Proleg. 14 ss.) commum solent vocare. Has enim dramatis partes similiter atque parodos mixtas ad choricae actionis similitudinem propius accedere ex metrorum conformatione facile colligitur.

§. 4. De scaenis scaenarumque particulis.

His igitur expositis quam vim habeat actio chorica ad dirimendas dramatis partes intellectum puto; restat ut de ipsis illis partibus breviter dicam. Ac primum quidem episodium aut una scaena continetur generali aut duabus tribusve interscaeniis numquam fere non discretis. Scaena deinde generalis ita a poetis est constructa ut ex una constet actionis parte perfecta et conclusa aut divisa sit in scaenas peculiares, quas κατ' ἐξοχὴν

scaenas nominamus, coniunctionibus dramaticis aliquando inter se nexas. Scaenam denique peculiarem in particulas saepe distributam cernimus in se constantes interloquiis nonnumquam distinctas.

Has episodii partes sibi proposuisse poetas choricaque actione secretas voluisse ex eis quae supra disputavimus spero apertum esse. Sed tamen quoniam interscaenia et coniunctiones et interloquia non ubique a poetis in usum sunt vocata, eas quoque confitendum est ad dividendam actionem idoneas esse incisiones quae fiunt histrione et prodeunte in logeum ex eoque discedente et conticescente denuoque agente, interdum etiam metrorum immutatione. Neque tamen non cavendum est ne adeo eas premamus ut omnes eis seiunctas particulas pro scaenis ducamus. Omitto nostros poetas, omitto argumenta, illud unum adfero: si omnes eas particulas quae illis incisionibus separantur scaenas, hoc est episodii partes perfectas atque conclusas esse voluissent poetae, pro concinnitatis consectatione non dubium esse quin omnes in quadrum numerumque redacturi fuerint. Id quod non factum esse videmus velut in Antigonae ultima scaena. In prima enim eius particula, quae si istos audiremus, scaena esset agnoscenda, duae strophae inveniuntur Creontis, *antistrophae* vero *in proxima post adventum* demum *nuntii*. Ex metrorum igitur compositione, si deest chorica actio, et ex argumento similitudineque sumenda sunt indicia ad discernendas dramatum partes. Haec secutus divisionem a poetis spectatam restituere conatus sum: qua in re numquam me defecisse non spero, confido vero fore ut propter rei novitatem mihi ignoscatur si quid defecerim.

Sed iam de singulis fabulis dicamus.

1. *Persae*.

I. *Episodium primum* 140—545 ex una scaena generali constat coniunctionibus dramaticis (A. 1. et B. 1.) cum parodo et stasimo primo iuncta. Scaena autem generalis in *tres scaenas* peculiares dispertita est: *una*—248 continetur colloquio chori cum regina, priusquam nuntius accessit, quem adventurum denuntiat chorus tribus tetrametris trochaicis (transitione); *altera*—287 nuntii et chori actione, cuius prior particula a nuntio solo perficitur; *tertia*—529 in duas particulas chori interloquio (1.) divisa est, quarum altera consistit ex colloquio Atossae,

quae in secunda scaena obticuerat, et nuntii, altera ex reginae miseratione. Ad constituendas has particulas nihil referre utrum nuntius, dum chorus interloquitur, abierit necne iam supra p. 20 expositum est.

II. *Episodium secundum* 596 842 item exhibet unam scaenam generalem tripertitam: *prima* — 630 et *tertia* — 842 scaena, quarum utraque soliloquium Atossae complectitur, a media chori actione separatur. Nam primam scaenam interscaenium (1.) sequitur coniunctione dramatica (B. 2.) cum ea nexum, tertiam antegreditur interloquium (2.), quae seiunctio et processu Darei augetur et discessu.

Secunda vero scaena — 833 in tres particulas est distributa, in quarum prima et ultima Dareus cum choro colloquitur tacente Atossa, in media Dareus cum uxore. Has particulas secretas quin ipse voluerit poeta non dubitabimus, si metrorum respiciemus conformationem. In prima enim particula post tredecim versus iambicos Darei tres eiusdem trochaici ionicis chori strophis circumcluduntur, in secunda vero non inveniuntur nisi trochaici, in tertia iambici sicuti in prima.

III. *Exodus* 889—1047 threnum exhibet Xerxis et chori, cuius indagare particulas non huc facit.

2. *Supplices.*

I. *Episodium primum* 166—506 interscaenio (2.) in duas scaenas generales secerni posse videtur, quarum altera duas complectitur scaenas peculiares. Tres sunt igitur scaenae peculiares: *prima* — 223 continetur colloquio Danai cum choro; in *secunda* — 402, quae incipit ubi advenit rex, is agit et chorus tacente Danao. Haec scaena mihi quidem videtur argumento divisa esse in particulas tres, quarum una quasi prooemium scaenae dici potest quippe qua qui sint ab actoribus declaretur, altera colloquii lectica parte, tertia ut ita dicam melica parte continetur. Interscaenium — 420 sequitur *tertia* scaena — 506 item tripertita: in media particula discessu Danai finita duo agunt histriones, rex et Danaus, in reliquis duabus rex et chorus.

II. *Episodium secundum* 580—609 colloquium habet Danai et chori cum stasimo sequenti coniunctione dramatica (B. 3) coniunctum.

III. *Episodium tertium* 676—741 item Danai et chori actione continetur.

IV. *Episodium quartum* 788—984. Quemadmodum primum sic hoc episodium ex duabus constat scaenis generalibus interscaenio (3.) seiunctis, quarum altera duas complectitur scaenas peculiares: *prima* — 877 coniunctione dramatica cum stasimo tertio iuncta ex actione consistit praeconis et chori, *altera* — 932 ex regis et praeconis. Incipit autem haec scaena adventu règis et dividitur discessu praeconis in particulas duas ita ùt ultima regis verba non praeconis, sed chori auribus sint destinata. In *tertia* denique scaena — 980 post interscaenium — 946 Danaus chorum adloquitur. Qui secuntur quattuor trimetri iambici coryphaei in coniunctionum dramaticarum numero (B. 4.) a me repositi sunt.

3. *Septem.*

Prologus 1—77 duas capit scaenas, quarum *altera* — 38 ex Eteocli oratione consistit, altera — 77 ex nuntii et Eteocli orationibus. Processu nuntii episodium in duas partes dividitur, discessu scaena secunda item.

I. *Episodium primum* 165—269. Una scaena Eteocli et chori actione conficitur.

II. *Episodium secundum* 352—702. Una scaena generalis in duas peculiares dividitur, quarum *altera* — 685 cum stasimo praecedenti coniunctione dramatica (A. 3.) conexa ex nuntii et Eteocli constat orationibus, quibus sex chori strophae insertae sunt pro interloquiis (3.) meo quidem iudicio ducendae; *altera* — 702 Eteocli et chori actione continetur. Secernuntur autem scaenae nuntii discessu, quamobrem non septem, ut adhuc existimatum est, sed sex tantum agnoscenda sunt orationum paria.

III. *Episodium tertium* 775—813. Una scaena — 803 ex nuntii cum choro colloquio composita est, quod cum stasimo tertio iungitur coniunctione dramatica (B. 5.).

IV. *Exodus mixta* 840—1063 coniunctione dramatica (A. 4.) et exodio circumclusa unam scaenam continet generalem ex duabus peculiaribus compositam, quarum *altera* — 988 ex commo constat ab Antigona Ismena choro confecto, *altera* — 1037, quae incipit simulac praeco processit, ex eius cum Antigona colloquio.

4. *Prometheus.*

Prologus 1—87 Roboris et Volcani colloquio continetur.

I. *Episodium primum* 288—400. Una est scaena tres parti-

culas complectens. Namque orationes Promethei et Oceani prooemio, quod versibus anapaesticis ab Oceano pronuntiatis conficitur, et epilogo tamquam stichomythico sunt circumdatae.

II. *Episodium secundum* 438—527 ex colloquio consistit Promethei cum choro. Hoc colloquium nescio an possit dividi in particulas duas, quarum altera comprehendat orationes actoris, altera stichomythiam quaternis chori versibus inclusam.

III. *Episodium tertium* 554—844 est una scaena generalis versibus anapaesticis ab Io recitatis definita. Reliqua pars in quinque particulas divisa est: *una* strophis continetur Ius, quibus quaterni Promethei versus adiecti sunt, *altera* stichomythia actorum, *tertia* orationibus eorundem et cantu chori, *quarta* altera actorum stichomythia, *quinta* bis quaternis versibus chori et duabus orationibus Promethei.

IV. *Exodus* 906—1094 item unam habet scaenam generalem in tres peculiares distributam, quarum *prima* — 942 ex colloquio constans Promethei cum choro a secunda novi actoris introitu secernitur; *secunda* — 1034 quae colloquio continetur Mercurii et Promethei a tertia non solum chori interloquio (4.), verum etiam metri immutatione: ex versibus enim anapaesticis composita est; *tertia* — 1094 discessu Mercurii in duas particulas divisa.

5. *Agamemno.*

In *prologo* 1—39 custos solus loquitur.

I. *Episodium primum* 245—353 ex colloquio constat chori et Clytaemnestrae, quae 245 in logeum procedit: cf. Wecklein Studien 995, deque eo discedit colloquio finito et redit 565: cf. Hermann Donner Enger; aliter iudicavit Schoenborn Skene 160 ss., quem sequi soleo aliis non laudatis. Conexa est actio scaenica cum stasimo quod sequitur coniunctione dramatica (B. 6).

II. *Episodium secundum* 467—658, ad quod transitus fit coniunctione dramatica (A. 5.), unam comprehendit scaenam processu et discessu Clytaemnestrae in tres particulas distributam.

III. *Episodium tertium* 747—938, cuius quasi prooemium est coniunctio dramatica (A. 6.), item una scaena continetur Agamemnonis discessu divisa in particulas duas.

IV. *Exodus* 988—1644 interscaenio (4.) in duas scaenas

generales est dispertita: altera ex duabus constat scaenis peculiaribus; in quarum *prima* — 1021 Clytaemnestra agit et chorus tacente Casandra, in *secunda* — 1284 postquam abiit Clytaemnestra, chorus et Casandra; horum autem actio duas habet partes, melicam et lecticam. Altera scaena generalis, quae interscaenium (4.) sequitur, item continet duas scaenas peculiares, quarum altera (*tertia* — 1547) Clytaemnestrae et chori actione continetur, altera (*quarta* — 1644) ubi advenit Aegisthus, huius et chori et Clytaemnestrae, quae in proscaenio remanserat: cf. Hermann ad 1594, Enger ad 1627 (aliter Schoenborn Skene 166, Myriantheus 45). Divisa autem est haec scaena in particulas duas metro mutato satis luculenter signatas: altera enim, cui oratio Aegisthi ut prooemium praemissa est, ex iambicis versibus est composita, altera epilogo Clytaemnestrae conclusa ex trochaicis.

6. *Choephoroe.*

Prologus (corruptus). Orestes solus loquitur.

I. *Episodium primum* 77—572. Una scaena generalis commum complectitur et tres scaenas peculiares, quarum una adventu novi actoris clauditur, altera et tertia cum commo interposito coniunctionibus dramaticis (B. 7. et A. 7.) iunguntur. *Prima* autem scaena — 203 Electrae cum choro colloquio conficitur, *secundae* — 297 (cf. adn. ad tabulas) prima particula colloquio Orestis et Electrae, secunda chori et Orestis item, tertia Orestis oratione. *Commi* qui sequitur — 465 participes sunt Orestes Electra chorus. *Tertia* denique scaena — 571 in tres particulas est divisa, quarum una colloquium continet Orestis et Electrae, altera item chori et Orestis, tertia Orestis orationem.

II. *Episodium secundum* 634—763 ex duabus constat scaenis generalibus interscaenio (5.) secretis, quarum altera duas comprehendit scaenas peculiares, altera unam. Atque *prima* scaena — 648, quae novi actoris introitu terminatur, duabus particulis continetur, quoniam in principio Orestes solus in logeo versatur agitque, in exitu vero idem et servus.

Secunda — 699 constat ex Clytaemnestrae et Orestis actione; interscaenium (5.) quod sequitur — 710 coniunctione dramatica (A. 8.) cum *tertia* — 763 iungitur, quae ex nutricis et chori colloquio consistit.

III. *Episodium tertium* 831—927 interscaenio (6.) in duas

scaenas generales dispertitur, quarum altera ex una, altera ex tribus scaenis peculiaribus constat. *Prima* vero scaena — 847 Aegisthi cum choro colloquio continetur, *secunda* — 877, quae pariter atque tertia alterius actoris processu clauditur, servi soliloquio, *tertia* — 884 Clytaemnestrae et servi actione, *quarta* — 923 Orestis Clytaemnestrae Pyladis colloquio, quod coryphaei versibus (coniunctione dramatica B. 8.) cum stasimo sequenti nexum est.

IV. *Exodus* 970—1073 una est scaena — 1061, quae cum exodio duobus chori ducis versiculis (coniunctione dram. B. 9.) iungitur.

7. *Eumenides.*

Prologus 1—139 tres habet scaenas generales, quarum *una* — 64 ex Pythiae soliloquio constat, *altera* — 93 ex Apollinis et Orestis actione, *tertia* — 139 ex Clytaemnestrae actione.

I. *Episodium primum* 177—316 in duas scaenas generales dispertitum est, quarum altera (= *prima* scaena — 252) chori metastasi et discessu Apollinis finitur, altera duas comprehendit scaenas peculiares epiparodo discretas. *Secunda* igitur scaena — 241 soliloquio Orestis continetur, *tertia* — 302 chori et Orestis actione, a qua transitus fit ad stasimum sequens coniunctione dramatica (B. 10.)

II. *Episodium secundum* 393—485 unam complectitur scaenam generalem in duas particulas divisam; in altera enim Minerva cum choro, in altera cum Oreste colloquitur.

III. *Episodium tertium* 556—897 in quinque partes divisum esse suspicor: *prima* — 603 ex tribus particulis constat, prooemio, chori et Orestis altercatione, Orestis precibus; in *secunda* —663 Apollo Orestem defendit; *tertia*—743 quinque continetur particulis, thesmo Minervae, chori et Apollinis colloquio, Minervae oratione, stichomythia Orestis et chori, epilogo; in *quarta* — 767 gratias agit Orestes Minervae; *quinta* — 897 ex duabus particulis consistit, melica ut ita dicam et lectica.

Universa reliqua dramatis pars me iudice exodus mixta est habenda. Nam chori strophas sex, inter quas actoris anapaestica systemata interiecta sunt, pro stasimo esse ducendas minus mirum mihi videtur quod contendebant quidam quam quod reliqui credunt: tam graves exsistunt dubitationes. Numquam enim in stasimis conspicimus anapaesticos versus strophis insertos:

cf. supra c. I. §. 3. in fine, numquam apud Aeschylum cantus participem actorem, numquam cernimus unius actoris versibus confectum episodium: cf. quae dixi ad interscaenium primum Aeschyli et primum Sophocli. Id vero hoc loco de paucis (undecim) illis trimetris Minervae qui secuntur statuendum esset, si pro stasimo haberetur canticum praegressum. Quoniam autem hoc scaenicae actionis continuationem non dici posse cum argumentum indicio sit, ut nemo non fatebitur, tum metrorum conformatio — numquam enim factum videmus ut non procedente in logeum sive redeunte histrione ulla scaena ex chori cantico constaret cum systematis anapaesticis ab actore pronuntiatis coniuncto — necessitate quadam eo adducimur ut universum dramatis exitum 898—1023 in exodorum numero reponamus. Neque abhorrere videtur mutata vis quam etiam huic termino technico priscae tragoediae decursu temporum subiectam esse verisimillimum est. Priscae enim tragoediae exodum chori canticum fuisse supra docuimus ubi de exodo dictum est, recentioris vero Aristoteles suo iure confirmavit esse universam post ultimum stasimum scaenicam actionem. Cumque unamquamque artem naturae quibusdam legibus obstrictam suo ordine consentaneum sit cepisse processus, idem factum esse in exodis statuendum videtur atque in parodis, illud dico ut non continuo cantus finalis exolesceret inque eius locum actio scaenica succederet, sed proximum a chori cantu, sicut in parodis, canticum sequeretur a choro et actoribus alterna vice cantatum. Hac mixta exodi forma mihi quidem videntur esse commus Persarum et exodus Eumenidum.

c. III. De symmetria dramatica Aeschylea.

Ut uniuscuiusque operis atque artificii compositio ita dramatum symmetria potissimum et rhythmo perspicitur. Quamobrem qualis sit dramatum symmetria ei quaerendum est qui qua arte poetae episodia composuerint cognoscere vult. Nam rhythmum nihil aliud esse quam iucundam eius variationem in prooemio docuimus. Ac primum quidem quoniam actio dramatica personis vocibus motibus continetur, symmetriam patet in promptuque est tripertitam esse: personarum vocum motuum. Sed quomodo egerint histriones cum nihil fere constet, de personarum

tantum et de vocum vel quia voces in versus sunt distributae, de versuum symmetria hoc loco exponemus. Cumque symmetriam et in quantitate et in qualitate materiae cernamus positam, hae quattuor sunt dramatum symmetriae de quibus singulis deinceps disseramus: symmetria in quantitate personarum posita, symmetria in qualitate personarum posita, symmetria in quantitate versuum posita, quam mensuralem vocabimus, quae sola fere hucusque mirum quantum symmetria perhibebatur, symmetria in qualitate versuum posita, quam metricam appellabimus.

§. 1. De symmetria personarum secundum quantitatem.

Symmetria igitur personarum secundum quantitatem numero histrionum continetur Quorum quoniam duplex numerus est, et eorum qui agunt et eorum qui in proscaenio versantur, duae sunt eius generis species. Propria ratio alterius haec est ut quot in principio episodii scaenaeve agunt actores totidem agant in exitu, alterius haec ut quot in exordio adsunt in logeo totidem in fine ibidem versentur, utriusque vero communis natura haec ut in media episodii scaenaeve parte maior minorve sit numerus actorum.

A. De symmetria eorum qui agunt.

Alterius speciei, hoc est symmetriae eorum qui agunt haec apud Aeschylum inveniebam exempla:

1. *Persae.*

II. *Episodium secundum* 596 ss. Huius et in initio et in exitu Atossa sola agit [1], cum mediam scaenam Darei cum choro et Atossa expleat colloquium item symmetrica quadam ratione compositum. In exordio enim eius unus histrio Dareus cum choro agit tacente regina [1 (X)], quod idem fit in extremo, in media vero scaenae particula chorum excipit Atossa ita ut duo agant histriones [2]. Habemus igitur hoc actionis schema:

1.. 1(X), 2, 1(X). 1.

Quo in schemate chori actionem hoc compendio: (X) signavi.

2. *Supplices.*

I, 3. *Episodii primi scaena tertia* 421 ss. Prima et tertia eius particula regis et chori continetur actione [1(X)], secunda regis et Danai [2] ad hanc figuram:

1(X), 2; 1(X).

4. *Prometheus.*

III. *Episodium tertium* 554 ss. Prooemium eius et epilogus ab Io recitantur, in reliquis quinque partibus hae agunt personae: 1. Io et Prometheus [2], 2. eaedem personae [2], 3. eaedem et chorus [2(X)], 4. Io et Prometheus [2], nam unus ille coryphaei versiculus: 743 ἦ γάρ τι λοιπὸν τῇδε πημάτων ἐρεῖς; interloquii non absimilis non eam vim videtur habere ut chorus in hac particula actionis particeps sit agnoscendus. In quinta denique parte chorus agit et Prometheus [1(X)] ita ut hoc actionis schema videatur effici:

1, 2, 2, 2(X), 2, 1(X), 1,

in quo vix dubitandum videtur quin respondere voluerit poeta duos actores primae post prooemium partis choro et actori qui in quinta agunt.

5. *Agamemno.*

II. *Episodium secundum* 467 ss. In prima et tertia particula praeco agit cum choro [1(X)], in media sola Clytaemnestra [1]. Haec igitur exsistit actionis figura:

1(X); 1; 1(X).

6. *Choephoroe.*

I. 2 et 3. *Episodii primi scaena secunda et tertia et commus,* 204 ss. In prima utriusque scaenae particula duo agunt actores, Orestes et Electra [2], in secunda chorus et Orestes [2], in tertia solus Orestes [1]; commus vero qui interpositus est ab Oreste Electra choro cantatur [2(X)], quare hic actionis ordo statuendus est:

2, 1(X), 1. 2(X). 2, 1(X), 1.

7. *Eumenides.*

Prologus ad hunc modum est compositus ut in prima et tertia scaena unus loquatur histrio [1], in media vero duo, Orestes et Apollo [2], quamobrem haec est personarum responsio:

1. 2. 1.

I. *Episodium primum* 177 ss. Postquam in prima scaena Apollo egit cum choro [1 (X)], in secunda Orestes solus loquitur [1] et in tertia chorus et Orestes agunt ad hanc normam:

1(X). 1. 1(X).

B. De symmetria eorum qui in proscaenio versantur.

Alterius speciei, hoc est symmetriae eorum qui in logeo adsunt actorum haec mihi proferenda censeo exempla:

1. *Persae.*

I. *Episodium primum* 155 ss. Si recte conicitur (cf. c. II. §. 2 de interloquiis) post 512 abiisse nuntium, et in principio et in exitu regina sola a spectatoribus cernitur [1] haecque est actorum symmetria:

1 : 2 : 1.

II. Eadem est in *episodio secundo* 596 ss, quoniam ante adventum et post discessum Darei sola eius uxor in logeo versatur [1].

2. *Supplices*

I. *Episodium primum* 166 ss. In prima eius scaena unus adest actor Danaus [1], alter accedit in secunda rex [2], qui remanet postquam Danaus abiit [1], ita ut hoc schema exsistat: 1 : 2 : 1. Quod idem cernitur

IV 1 et 2. *in episodii quarti scaena prima et secunda* 676 ss. In principio enim solus in logeo adest praeco [1], in exitu solus rex [1], in media vero parte ille et hic [2].

3) *Septem.*

In *prologo* adsunt deinceps Eteocles [1], nuntius et Eteocles [2], Eteocles [1], quamobrem haec nascitur figura: 1 : 2 : 1, quae eadem invenitur in

4. *Promethei*

IV. *exodo* 906 ss. Solus enim actor adest in initio et exitu Prometheus [1], alter procedit Mercurius in media parte [2].

5. *Agamemno.*

II. *Episodium secundum* 481 ss. eandem exhibet symmetriae formam. Praeco enim solus in scaena versatur [1] ante adventum et post discessum Clytaemnestrae [2].

IV. In *exodo* 988 ss. tandem aliquando inversam cernimus structuram. Duo enim adsunt in principio actores, Clytaemnestra et quamvis muta Casandra [2], item duo in exitu Clytaemnestra et Aegisthus [2], in mediis vero scaenis et Casandra [1] et Clytaemnestra sola [1] agit cum choro. Hoc est igitur personarum schema:

2 : 1 : 1 : 2.

6. *Choephoroe.*

I. *Episodium primum* 77 ss. In principio solus in proscaenio cernitur Orestes [1], nam *κῶφα πρόσωπα* hic et alibi missa facimus, accedit servus [2], qui postquam abiit Clytaemnestra procedit [2]; post interscaenium denique nutrix sola in proscaenio versatur [1]. Quare haec est personarum symmetria:

1 : 2 : 2 : 1.

7. *In Eumenidum*

prologo primum Pythia sola conspicitur; quae simulatque abiit, duo procedunt actores, Orestes et Apollo [2], quorum post discessum iterum unus versatur actor in logeo, Clytaemnestra [1], ita ut hoc habeamus schema: 1 : 2 : 1.

§. 2. De symmetria personarum secundum qualitatem.

Deinceps dicendum est de symmetria personarum secundum qualitatem. Quae in hoc mihi posita esse videtur ut in eis episodii scaenaeve partibus quas concinnitatis quasi legibus obstrictas voluit poeta eadem eaedemve agant personae. Hac symmetria nulla in fabulis Aeschyleis invenitur destituta scaena scaenaeve particula. Tanta est igitur exemplorum copia ut compendiariam persequi e re esse videatur. Quamobrem in enumerandis exemplis ita versabor ut solis nominibus significem quae quo ordine in unaquaque scaena agant personae. Si igitur scribam „Atossa“, hanc solam loqui intelligi volo, si „Dareus Atossa“, ita agere hos duos actores ut Dareus actionem incipiat, concludat Atossa, si „Dareus chorus Dareus“, colloquii prima et ultima verba facere Dareum, si „Aegisthus chorus Clytaemnestra

Aegisthus chorus", in principio et exitu ab Aegistho et choro alterna vice versus effundi, in media vero parte a Clytaemnestra, sic reliqua. Interscaenia interloquia coniunctiones dramaticas utpote non integras partes actionis scaenicae in textu praetermisi et neglexi, in schematis vero interscaenia hoc signavi compendio: [X], coniunctiones dramaticas hoc: +. Reliqua compendia non egent explicatione. Sed iam enumerandi faciamus initium:

1. *Persae.*

I. *Episodium primum*: prima scaena: chorus Atossa chorus = ***XAX***; secunda a: nuntius = *α̋*, b: chorus nuntius chorus = ***Xα̋X***; tertia a: Atossa nuntius = ***Aα̋***, b: Atossa = ***A***. Schema igitur universi episodii hoc est:

XAX. α̋, Xα̋X. Aα̋; A.

Quo in schemate quae sibi respondeant personae lineolis ductis non metuo ne nemo intellegat. Illud unum addo, quoniam quattuor tetrametris trochaicis a chori duce in exordio pronuntiatis regina tantum consalutatur, actionem ab Atossae versibus incipere videri ita ut hic actor primus et ultimus loquatur.

II. *Episodium secundum*: prima scaena: Atossa = ***A***; secunda a: Dareus chorus = ***ΔX***, b: Dareus Atossa = ***ΔA***, c: Dareus chorus Dareus = ***ΔXΔ***; tertia: Atossa = ***A***. Hanc igitur habemus figuram:

A + [X]. ΔX. ΔA, ΔXΔ. A.

III. *Exodus* = commus.

2. *Supplices.*

I. *Episodium primum*: prima scaena: Danaus chorus Danaus = ***ΔXΔ***; secunda: rex chorus rex = ***BXB***; tertia a: rex chorus rex = ***BXB***, b: rex Danaus rex = ***BΔB***, c: chorus rex = ***XB***. Nascitur igitur haec personarum responsionis forma:

ΔXΔ BXB [X]. BXB, BΔB; XB.

II. *Episodium secundum:* Danaus chorus Danaus ad hanc rationem:

ΔXΔ +.

III. *Episodium tertium:* item = *ΔXΔ*.

IV. *Episodium quartum:* prima scaena: praeco chorus praeco = *κXκ*; secunda a: rex praeco = *Bκ*, b: rex = *B*; tertia: Danaus = *Δ*. Hoc ergo modo sibi respondent personae:

+ *κXκ*. *Bκ*; *B*. [*X*] *Δ* +.

3. *Septem.*

Prologus: prima scaena: Eteocles = *E*; secunda a: nuntius = *α″*, b: Eteocles = *E*. Quocirca hoc schema statuendum est: *E*. *α″*; *E*.

I. *Episodium primum*: Eteocles chorus Eteocles ad hanc figuram: *EXE*.

II. *Episodium secundum:* prima scaena a: nuntius Eteocles = *α″E*, bcdef: item, g: nuntius = *α″*; secunda: Eteocles chorus Eteocles = *EXE*. Universi igitur episodii haec est personarum symmetria: + *α″E*, *α″E*, *α″E*, *α″E*, *α″E*, *α″E*, *α″*. *EXE*.

III. *Episodium tertium:* nuntius chorus nuntius ad hanc figuram: *α″Xα″*.

IV. *Exodus:* prima scaena: Antigona Ismene chorus Antigona Ismene = *AIXAI*; secunda: praeco Antigona praeco = *κAκ*. Itaque responsio personarum haec est:

+ *AI X AI*. *κAκ* [*X*].

4. *Prometheus.*

Prologus: Robur Volcanus Robur ad hanc figuram: *KHK*.

I. *Episodium primum:* prooemium: Oceanus = *Ω*, media pars: Prometheus Oceanus Prometheus = *ΠΩΠ*, epilogus: Oceanus Prometheus Oceanus = *ΩΠΩ*. Cuius episodii schema hoc est:

Ω, *ΠΩΠ*, *ΩΠΩ*.

II. *Episodium secundum:* a: Prometheus chorus = *ΠX*, b: Prometheus chorus Prometheus = *ΠXΠ* ad hanc responsionis normam:

ΠX. ΠXΠ.

III. *Episodium tertium:* prooemium: Io = I, particula a: Io Prometheus = *IΠ*, b: item, c: chorus Prometheus Io chorus Prometheus Io Prometheus = *XΠIXΠIΠ*, d: Io Prometheus = *IΠ*, e: chorus Prometheus = *XΠ*, epilogus: Io = *I*. Quae cum ita sint, haec emergit symmetriae forma:

I, IΠ, IΠ, XΠIXΠIΠ, IΠ, XΠ, I.

IV. *Exodus*: prima scaena: Prometheus chorus Prometheus = *ΠXΠ*; secunda: Mercurius Prometheus Mercurius = *EΠE*; tertia a: Prometheus Mercurius chorus Mercurius = *ΠEXE*, b: Prometheus = *Π*. Exsistit igitur hoc schema:

ΠXΠ EΠE ΠEXE; Π.

5. *Agamemno.*

Prologus: solus loquitur custos = *φ*.

I. *Episodium primum:* chorus Clytaemnestra chorus ad hanc normam: *XKX* +.

II. *Episodium secundum:* particula a: praeco chorus = *ϰX*, b: Clytaemnestra = *K*, c: chorus praeco = *Xϰ*. Hoc igitur modo sibi respondent personae: *ϰX*; *K*; *Xϰ*.

III. *Episodium tertium:* particula a: Agamemno Clytaemnestra Agamemno = *AKA*, b: Clytemnestra = *K* ad hanc figuram:

+ *AKA*; *K*.

IV. *Exodus:* prima scaena: Clytaemnestra chorus Clytaemnestra = *KXK*; secunda a: chorus Casandra chorus = *XK′X*, b: Casandra chorus = *K′X*; tertia: Clytaemnestra chorus Clytaemnestra = *KXK*; quarta: prooemium: Aegisthus = *A*, a: chorus Aegisthus chorus = *XAX*, b: Aegisthus chorus Clytaem-

nestra Aegisthus chorus = *AXKAX*, epilogus: Clytaemnestra = *K*. Itaque universae exodi schema hoc est:

KXK. XK'X, K'X. [*X*]: *KXK. A. XAX, AXKAX, K*

6. *Choëphoroe:*

Prologus: Orestes solus loquitur = *O*.

I. *Episodium primum*: prima scaena: Electra chorus Electra = *HXH*; secunda a: Orestes Electra Orestes = *OHO*, b: chorus Orestes chorus (cf. adn. ad tabulas) = *XOX*, c: Orestes = *O*; — sequitur commus = *OHXHO* — tertia a: Orestes Electra Orestes = *OHO*, b: chorus Orestes chorus = *XOX*, c: Orestes = *O*. Habemus igitur hanc symmetriae personarum figuram:

HXH. OHO, XOX. O + *OHXHO* + *OHO. XOX, O.*

(κομμός)

II. *Episodium secundum:* prima scaena a: Orestes = *O*, b: servus Orestes = *oiO*; secunda: Clytaemnestra Orestes Clytaemnestra = *KOK*; tertia: nutrix chorus nutrix = *τXτ*. Haec igitur est norma: *O, oiO. KOK.* [*X*] + *τXτ*.

III. *Episodium tertium:* prima scaena: Aegisthus chorus Aegisthus = *AXA*; secunda: servus = *oi*; tertia: Clytaemnestra servus Clytaemnestra = *KoiK*; quarta: Orestes Clytaemnestra Orestes Pylades Clytaemnestra Orestes = *OKOΠKO*. Totius ergo episodii schema hoc est:

AXA. [*X*] *oi. KoiK. OKOΠKO* +.

IV. *Exodus:* Orestes chorus Orestes ad hanc figuram: *OXO* + [*X*].

7. *Eumenides.*

Prologus: prima scaena: Pythia = *Π*; secunda: Apollo Orestes Apollo = *A'OA'*; tertia: Clytaemnestra = *K*. Norma haec est:

Π. A'OA'. K.

I. *Episodium primum:* prima scaena: Apollo chorus Apollo

= *A'XA'*; secunda: Orestes = *O*; tertia: chorus Orestes chorus = *XOX*. Hoc igitur modo sibi respondent personae:

A'XA'. *O*. *XOX* +.

II. *Episodium secundum:* prima particula (a): Minerva chorus = *AX*, b: Minerva Orestes Minerva = *AOA*. Figuram ergo habemus hanc:

AX, *AOA*.

III. *Episodium tertium:* prima particula α: Minerva chorus Apollo Minerva = *AXA'A*, β: chorus Orestes chorus = *XOX*, γ: Orestes = *O*; secunda: Apollo chorus Apollo = *A'XA'*; tertia α: Minerva chorus Apollo Minerva = *AXA'A*, β: chorus Apollo chorus = *XA'X*, γ: Minerva = *A*, δ: Orestes chorus = *OX*, ε = Apollo Minerva *A'A*; quarta Orestes = *O*; quinta α: chorus Minerva chorus = *XAX*, β = Minerva chorus Minerva = *AXA*. Quae cum ita se habeant, hoc efficitur schema:

AXA'A, *XOX*, *O* *A'XA'*. *AXA'A*, *XA'X*, *A*,*OX*, *A'A*. *O*. *XAX*, *AXA*.

§. 3. De symmetria mensurali.

Quemadmodum quae adhuc de symmetria personarum disputavimus non dubia ita quae de symmetria mensurali dicturi sumus, maximam certe partem non credibilia videbuntur. Quamobrem pauca praemonenda censeo. Atque primum illud deprecor ne quis me a principio numerandis versibus studuisse existimet. Neque enim ego aliter atque plerique per multum tempus persuasum habui in fabulis Graecorum pro ingenio eorum inesse quandam aequabilitatem, non tamen talem ut versus versui responderet. Quocirca actionis tantum partes versuumque complexiones indagare mihi proposueram quae similiter inter se concinerent atque signorum in fastigiis complexiones. Attamen finita propemodum quaestione maius intellexi fuisse tragicorum studium aequabilitatis quam quod ab auditoribus percipi potuisse videatur.

Quae res, praesertim cum a me ipso concedatur, non paucis, opinor, satis idonea videbitur causa cur fidem denegent eis quae

prolaturus sum. Hi similes mihi videntur esse eorum qui non ita multo ante ullum fuisse signum negaverunt cui color esset inductus, quod quemquam voluptate adfici tale signum intuentem non credi posse arbitrarentur. An tu putas patres nostros sensu fuisse hebetiores ac tardiores nobis? Missum facio zophorum cellae Parthenonis circumdatum, cuius partes quamvis in diversissimas regiones spectarent, miram Phidiae declarabant concinnitatis consectationem, ut oculis non possent perlustrari: cf. A. Michaelis Parthenon 216 ss., E. Petersen Kunst des Pheidias 236 ss[1]): in ipsis fabulis Aeschyleis inveniuntur nonnulla quae a spectatoribus sensu percipi non potuerint, regulas dico quas Aeschylum secutum esse in componendis carminibus Westphal commonstravit ea commentatione qua novam Aeschyli emendandi viam patefecit. Habet autem is Proll. p. 169: „Primum eam esse dochmiorum in fabulis Aeschyleis legem ut huius numeri formae in antistrophis recurrant eaedem, *syllaba syllabae respondente*; et p. 170: Altera (lex) haec est. Inter strophas et antistrophos Aeschyleas quum in aliis metris, tum in dochmiis praeter numerorum congruentiam *mirus* quidam est verborum vel sententiarum concentus, qui non solum in interiectionibus vociferationibusque et in appellationibus quae fiunt per vocativum et imperativum, sed etiam in verbis quibus versus aut incipit aut finitur, et in interpunctionis grammaticae aequabilitate cernitur.“ Nam quae in his legibus nobis quidem mira videntur sola musicae ratione non posse explicari manifestum videtur. Concedendum est igitur etiam scaenicos poetas magis studuisse aequabilitati quam iustum nobis esse videatur. Quode si isti aliter iudicent, sibi habeant.

---

1) Westphal Prolegomena V: Und doch mag keiner in Abrede stellen, dass auch sonst die alte Kunst sich in bestimmte, constant wiederholte Formen einzuzwängen keine Scheu trägt... Hat nicht in noch höherem Grade die höchste Blüthezeit der antiken Plastik das Princip gleichmässiger Anordnung bis ins Kleinste festgehalten? Wer von den Beschauern des Parthenonfrieses ist im Stande die Symmetrie, in welcher die zahlreichen Figurengruppen an den entgegengesetzten Wänden einander gegenübergestellt sind, zu überschauen? Und doch hat Phidias, oder wer von seinen Schülern das herrliche Werk ausgeführt, sich über diese mikrologische Responsion der einzelnen Partien nicht hinwegsetzen können.

Reliquos vero *qui vera agnoscenda censent qualiacunque sunt* ne pigeat velim aridum solum perarare mecum: multa conspicient quae ita se habent ut non casu facta esse putari liceat, sive ea symmetriam mecum voces sive aliter denominanda arbitreris. Eidem, ut spero, maiorem his rebus fidem tribuent, si intellexerint, id quod adhuc ignoratur, concinniorem esse structuram fabularum Aeschylearum quam Sophoclearum, Sophoclearum quam Euripidearum, quia is est omnis artis decursus naturae conveniens ut a rigidis ad pulchra et a pulchris ante ad mollia transeatur quam tota ars collabitur. Sed de Aeschyli tantum fabulis hoc loco exponere decrevi, non modo quod ratio monet temporis, sed etiam quia sic progredi utilissimum videbatur. Quoniam enim Sophocles et Euripides severissimam illam Aeschyli compositionem non ubique retinuerunt, facile quis dixerit casu facta esse quae nostro iudicio in horum fabulis priscam illam structuram redolent, id quod si sola Aeschyli dramata perlustrabimus, fieri non posse tibi mecum persuadebis. Ac ne in constituendis versuum numeris iusto violentior fuisse arguar fundamento usus sum novissima editione Kirchhoffiana. Quae in hac sunt adnotata repetii in adnotationibus ad tabulas eis tantum locis praetermissis ac neglectis qui ab ipso auctore aliter constituendi iudicati sunt. Pauca adicienda videbantur, quae inspicias velim, si quem numerum falsum tradidisse tibi videar. Venia denique petenda est, si quae a me erunt ignorata aut falso constituta. Haec reprehendenti corrigentique censori non obloquar, dummodo ne opinionem nostram hac re labefactasse se et convellisse glorietur. His praemissis ad propositum redeat disputatio.

Tertii igitur generis, hoc est symmetriae mensuralis tres principales sunt species: una versibus continetur unius actoris, altera in versibus duorum actorum ita posita est ut ab utroque eorum alterna vice idem versuum numerus effundatur. Harum utraque aut simplex potest esse aut composita. Tertia hoc habet propium quod non singulorum actorum versus sibi respondent, sed quod complexiones versuum a duobus tribusve personis prolatorum alterae pares numero secuntur complexiones versuum ab uno pluribusve actoribus pronuntiatorum.

Primam autem, quia versus unius histrionis sibi respondent, singularem, secundam, quia ab uno actore totidem recitantur ver-

sus quot ab altero ita ut duae sint personae oppositae, dualem, tertiam, quia particulae actionis quae sibi respondent pluribus personis sunt communes, communem nominabimus.

A. De symmetria singulari simplice.

Atque primum quidem symmetriae mensuralis quae versibus continetur ab uno histrione prolatis sive singularis haec est natura ut quot ab uno actore recitati versus sunt totidem in eadem dramatis parte ab eodem actore pronuntientur. Simplex vocatur eius generis aequabilitas, cum vel semel vel plus quam semel idem versuum numerus ab eadem persona repetitur. Exempla praeter meras stichomythias et ut ita dicam distichomythias, quae cum notissimae sint, hac paragrapho omittantur, occurrebant haec in fabulis Aeschyleis:

1. *Persae.*

I 2. *Episodii primi scaena secunda:* post singulas chori strophas bini versiculi a nuntio proferuntur ad hanc figuram:

X ἄ X ἄ X ἄ X ἄ X ἄ X
α 2 α′ 2 β 2 β′ 2 γ 2 γ′.

I 3. *Episodii primi scaena tertia* 329 ss: decem nuntii versus Atossae senarius numerus et praecedit et sequitur ad hanc normam:

A ἄ A
6 10 6.

I 3. *Episodii primi scaena tertia* 431 ss: media scaenae particula, quae longam nuntii orationem sequitur, binis reginae versibus includitur hoc modo:

A ἄ A ἄ A
2 3 3 4 2.

II 2 b. *Episodii secundi scaena secunda* 700 ss. et 744 ss: bis seni tetrametri trochaici ab Atossa pronuntiati inveniuntur in media scaenae particula ad hoc schema:

Δ A ΔA Δ A
6^1 6^4 24.1^1 14^4 6^1.

2. *Supplices.*

I 2 a. *Episodii primi seaena secunda* 236 ss: duas regis orationes secuntur terni chori versiculi ad hanc figuram:

B X B X
12 3 25 3

I 2 b. *Episodii primi scaena secunda* 281 ss: stichomythia quae in media scaenae particula reperitur undetriginta versuum numerum explens binis chori versiculis definitur hac ratione:

X BXB X
2 29*.1 2

I 2 c. *Episodii primi scaena secunda* 334 ss: in tertia huius scaenae particula inter singulas chori strophas quini regis versus interpositi sunt ad hanc normam:

X B X B X B X B X B X
α 5 α 5′ β 5 β′ 5 γ 5 γ′

III. *Episodium tertium* 676 ss: quinquies bini coryphaei versiculi inveniuntur, item quater bini Danai; interiectae sunt chori singulae strophae ad hunc modum:

X Δ X Δ X Δ X Δ X
2,α 2 2,α′ 2 2,β 2 2,β′ 2 2

IV 1. *Episodii quarti scaena prima:* a v. 840 singulas chori strophas secuntur primum terni, deinde bini praeconis versiculi ita ut hoc schema efficiatur:

X κ X κ X κ X κ X κ X κ
β 3 β′ 3 γ 2 γ′ 2 δ 2 δ′ 2

IV 2. *Episodii quarti scaena secunda:* cf. adn. ad tabulas.

3. *Septem.*

I. *Episodium primum* 165 ss: definitur episodium duabus Eteocli orationibus, quarum altera ex septendecim et sex et uno versu constitisse videtur: cf. adn. ad tabb., altera habet unum et sex et septendecim; singulis praeterea chori strophis terni Eteocli versus adiecti sunt ad hanc formam:

E X E X E X E X E X E X E XEX E
17*,6,1 *α* 3 *α'* 3 *β* 3 *β'* 3 *γ* 3 *γ'* 3 19.1 1,6,17

II 1. *Episodii secundi scaena prima* 352 ss: incipit scaena a duobus (prooemio) et viginti (oratione) nuntii versibus et concluditur viginti (oratione) et duobus (epilogo) eiusdem ad hoc schema:

ἄ E (X) . . . (X) ἄ
2,20 20 *α* *γ'* 20,2

II 2. *Episodii secundi scaena secunda* 666 ss: ternariis Eteocli numeris quater singulas chori strophas insertas cernimus ad hanc figuram:

E X E X E X E X E
3 *α* 3 *α'* 3 *β* 3 *β'* 3

4. *Prometheus:* cf. quae disputavit Otto Ribbeck in commentatione quae inscribitur: Qua Aeschylus arte in Prometheo fabula diverbia composuerit, Bernae edita 1859. — In *prologo* binos Roboris versus quater et decies singuli excipiunt Volcani ad hanc rationem: 2 1 2 1 2 1 2 1 eqs. (Ribbeck 3 ss.) [In *parodi lectica parte* 196 ss. ter quaterni chori versus interpositi sunt (Ribbeck 6) ad hanc formam: 4 45 4 13.1 4 14]

I. *Episodium primum* 385 ss: in colloquio extremo unus Promethei versiculus binis Oceani circumdatur (Ribbeck 8) ad hunc modum:

Ω Π Ω Π Ω Π . . .
2 2 2 1 2 1

II. *Episodium secundum* 438 ss: in altera eius parte duabus Promethei orationibus bis quaternarius chori numerus adiunctus est, in altera inclusa est stichomythia quaternis Promethei versibus (Ribbeck 6) ad hanc figuram:

Π X Π X | *Π XΠX Π*
36 4 31 4 | 4 7.1 4

III. *Episodium tertium:* in prima huius particula 570 ss. post strophas Ius quaternos versus Prometheus effundit (Ribbeck 6); in secunda 612 ss. utrique stichomythiae bini Ius versiculi praemissi sunt; in quinta 780 ss. quaternarius chori nume-

rus duas praegreditur Promethei orationes (Ribbeck 7); itaque haec exsistit responsionis forma:

: *I Π I Π* | *I Π IΠ I Π IΠ* | ... | *X Π X Π*

α 4 α′ 4 | 2 1 6.1 2 1 6.1 | ... | 4 38? 4 54

Huc nescio an referendi sint versus Promethei in *quarta particula* eiusdem episodii, quia ad hanc rationem inter Io et chorum et Prometheum distributi versus sunt:

I Π X Π . . . I Π I Π

1 2 1 1 1 1 1 2

IV 2. *Exodi scaena secunda* 970 ss: in media hac scaena nter singulos Mercurii versiculos bis bini Promethei interiecti sunt ad hanc figuram:

E Π E Π E

1 2 1 2 1

IV 3. *Exodi scaena tertia* 1039 ss: anapaesticos versus miro responsionis vinculo coniunctos esse iamdudum observatum est a G. Hermanno Elem. D. M. p. 784: O. Ribbeck 3. Effundunt enim Prometheus quattuordecim versus in principio et totidem in fine, Mercurius bis novenos, chorus octo ad hoc schema:

Π E X E Π

14 9 8 9 14

5. *Agamemno.*

IV 1. *Exodi scaena prima* 988 ss: Clytaemnestrae versus septem chori binis inclusi sunt hoc modo:

K X K X K X K

12 3 3 2 7 2 5

IV 2a. *Exodi scaena secunda* 1022: in principio huius scaenae singulas Casandrae strophas bini chori versus excipiunt ad hanc normam:

X K′ X K′ X K′ X K′ X K′ X K′ X K′ X K′ X

3 α 2 α 2 β 2 β′ 2 γ 2 γ′ 2 δ 2 δ′ 2

IV 2b. *Exodi scaena secunda* 1132 ss: in lectica huius scaenae particula quater quaternarius chori numerus invenitur ita ut hanc habeamus responsionis figuram:

K' X K'X K' X K·X K' X K'X K' X K' X*

20 4 12*.1 [28] 4 10.1 39 4 [14*.1] [8]?*1 5 4

IV 4a. *Exodi scaena quarta* 1596 ss: in colloquio quod Aegisthi orationem sequitur ex iambicis versibus composito quinque illius versus binis chori circumcluduntur, quare schema colloquii hoc est:

X Α X Α X Α X

5 8 3 5 3 7 6

6. *Choephoroe.*

I 1. *Episodii primi scaena prima* 117 ss: ante canticum chori undetriginta versus Electrae inveniuntur, totidem eiusdem in extrema scaena, quocirca haec est stabilienda responsionis figura:

. . . H X H X H X H

29* [11]μ. 2* 14.1 2 .9

I 2. *Episodii primi scaena secunda* 204 ss. (cf. adn. ad tabb.): prima huius scaenae particula binis definitur Orestis versibus, secunda quinis chori ad hunc modum:

O HOH O H O | X O X | O

2 11.1 8* 6* 2* | 5* 18 5 | 37

I 3a. *Episodii primi scaena tertia* 490 ss: in exeunte prima huius scaenae particula bini Orestis versiculi comitantur tres Electrae hac ratione:

. . . O H O H O

3 3 2 3 2

IV. *Exodus* 1004 ss: orationem Orestis quattuor secuntur versus anapaestici a chori duce pronuntiati, quibus respondent alteri quattuor item post octo ab Oreste recitatos versus iambicos ad hanc figuram:

O X O X

34 4 ἀν. 8 4 ἀν.

7. *Eumenides.*

I 1. *Episodii primi scaena prima* 177 ss: Apollinis orationem quaternarius chori numerus sequitur, qui repetitur ante metastasim ita ut hoc esse videatur schema:

A'	*X*	*A'X*	*A'*	*XA'*	*X*	*A'*
19	3	12.1	12	4.1	3	3

Huc mihi pertinere videtur

III a. *episodii tertii pars prima* 575 ss: ad colloquium enim chori cum Oreste transitur duobus chori versibus, nam qui continuo sequitur tertius eiusdem ad ipsum spectat Orestem:

πολλαὶ μέν ἐσμεν, λέξομεν δὲ συντόμως.
ἔπος δ' ἀμείβου πρὸς ἔπος ἐν μέρει τιθείς.
τὴν μητέρ' εἰπὲ πρῶτον εἰ κατέκτονας.

Item duo chori versus inveniuntur in exitu particulae ita ut haec figura constituenda videatur:

. . . *A' A* | *X OXO X* | *O*
6 3 | 2,1 19.1 2 | 5

III b. *Episodii tertii pars secunda* 604 ss: in colloquio Orestis cum choro bis octonos versus ille profert ad hanc normam:

A'	*X*	*A'*	*X*	*A'*	*X*	*A*
8	3	15	4	8	5	17

Eodem fortasse referenda est

III c. *episodii tertii pars tertia* 664 ss. quae binis Minervae versiculis ad hunc modum definitur:

A	*X*	*A*	*A*	*A*	...	*A'*	*A*
2	2	1	2	30		4	2

B. De symmetria singulari composita.

Deinceps dicendum est de symmetria mensurali in unius histrionis versibus posita singulari composita. Atque composita videtur esse huius generis symmetria, cum sive uni sive pluribus versuum complexionibus alterae eiusdem actoris respondent numero versuum pares atque aequales. Cuius exempla haec esse mihi videntur in fabulis Aeschyleis:

1. *Persae.*

I 3. *Episodii primi scaena tertia* 288 ss: in huius scaenae initio Atossa novem et duo et sex et alteros sex versus pronuntiat, quibus in exitu respondent octo et quindecim eandem summam explentes ab eadem Atossa recitati ad hanc figuram:

A ἅ A ἅ A ἅ A ἅ A ἅ A ἅ A ἅ A ἅ | (X) A
9 1 2 29 6 10 6 80 2 3 3 4 2 25 8 35 | 2 15
23 23

2. *Supplices.*

I 2. *Episodii primi scaena secunda* 224 ss: in prima eius particula (cf. supra A. Suppl. I 2 a) duae sunt regis orationes, quarum altera ex duodecim, altera ex viginti quinque constat versibus. Alterius numerus repetitur in ultima parte, quoniam quinquies quini regis versus qui inter chori strophas interiacent (cf. supra A. Suppl. I 2 c) viginti quinque sunt. Si in ultima regis oratione unum mecum statuas excidisse versiculum, haec exsistat versuum symmetria:

B X B X | . . . | *X B X B X B X B X B X B*
12 3 25 3 | | *α* 5 *α'* 5 *β* 5 *β'* 5 *γ* 5 *γ'* 11 (12?)
25

I 3. *Episodii primi scaena tertia* 421 ss: in utraque huius scaenae stichomythia septeni insunt versus a choro pronuntiati ita ut hoc responsionis schema emergat:

B XBX B | *Δ B* (*Δἀφ.*) | *X BX B*
17 13.1 12, | 10 10 4 | 2 10.1 8
7 7

IV 2. *Episodii quarti scaena secunda* 878 ss: regis sunt versus quinque et septem ut ita dicam stichomythici, qui summam explent duodecim, et duodecim et quattuordecim. Hi autem quattuordecim ex duabus constant complexionibus, quoniam duo spectant ad praeconem, caeteri ad chorum. Itaque ter invenitur duodenarius regis numerus ita ut haec responsionis figura statui posse videatur (cf. adn. ad tabb):

B ϰB ϰ B ϰ ἀφ. | *B*
5 14.1 4* 12 4,2 | 2,12
12

5. *Agamemno.*

I. *Episodium primum* 245 ss: in stichomythia quae priorem Clytaemnestrae orationem antecedit choro septem tributi versus sunt, item septem sunt qui secuntur tres et quattuor. Est ergo hoc responsionis schema:

X K XKX K X K X
6 4 13. 1 36 3 31 4
7 7.

IV 1. *Exodi scaena prima* 988 ss: Clytaemnestrae versibus duodecim in initio colloquii respondent eiusdem septem et quinque in fine positi ad hanc normam:

K X K X K X K
12 3 3 2 7 2 5
12.

IV 2. *Exodi scaena secunda* 1132 ss: lectica huius scaenae pars a viginti Casandrae versibus incipit, ad quas spectare videntur in exitu ab eadem Casandra pronuntiati septem stichomythici et octo et quinque (= 20); in media vero hi sunt numeri versuum a Casandra recitatorum: sex stichomythici et duodetriginta et quinque item stichomythici, quorum summa (= 39) numerum versuum aequiparat qui in proxima oratione a Casandra pronuntiantur. Quamobrem haec responsionis figura videtur statui posse:

*K' X K'X K' X K'X K' X K'X K' X K' X**
20 4 12.*1 [28] 4 10.1 39 4 [14.*1] 8?* 1 5 4
6 5 7
39 20

6. *Choephoroe.*

I 2. *Episodii primi scaena secunda* 204 ss: si recte sunt quae Rossbachius mutavit: cf. adn. ad tabb., in prima huius scaenae particula sex versibus Electrae stichomythicis respondent totidem eiusdem post Orestis orationem ad hanc rationem:

O HOH O H O
2 11.1 8* 6* 2*
6

I 3. *Episodii primi scaena tertia* 497 ss: in chori cum Oreste colloquio stichomythiam et praecedunt et secuntur septeni chori versus orationibus Orestis ad hunc modum divisi (cf. adn. ad tabb.):

X O X OXO X O X
4 9 3 9.1 5 12* 2
7 7.

Vix casui videtur tribuendum quod ter iteratur eadem responsionis forma, hoc est quod bis septeni chori versus sibi

respondentes inveniuntur in Supplicibus I 3, Agamemnone I, Choephoris I 3.

7. *Eumenides.*

II. *Episodium secundum* 393 ss: a Minerva pronuntiantur in altera huius episodii particula duodeviginti versus et novem stichomythici, in altera septem et post Orestis orationem viginti, qui eandem summam aequant; quare haec est responsionis norma:

Α Χ ΑΧ | Α Ο Α
18 3 18.1 | 7 27 20?*
27 27.

C. De symmetria duali simplici.

Altera species symmetriae mensuralis quae versibus continetur duorum actorum sive dualis ita fit ut alternis histriones versus effundant numero inter se pares atque aequales. Quae responsio simplex debet vocari, cum alterius actoris singulas versuum complexiones singulae pares alterius excipiunt. Praeter stichomythias et distichomythias haec profero exempla ex fabulis Aeschyleis adsumpta:

1. *Persae.*

I 3. *Episodii primi scaena tertia* 431 ss: quoniam in media hac scaena terni versus inveniuntur nuntii et reginae, haec exsistit responsionis figura:

Α ἄ Α ἄ Α
2 3 3 4 4.

II 2 b, c. *Episodii secundi scaena secunda* 694 ss: secunda huius scaenae particula incipit a sex tetrametris trochaicis Darei, quibus respondent qui secuntur totidem versus ab Atossa pronuntiati; 778 ss: in tertia deinde scaenae particula post orationem Darei sic est colloquium compositum ut terni singuli bini chori et Darei versus sibi respondeant ad hoc schema:

Δ Α ΔΑ Δ Α | Δ Χ Δ Χ Δ Χ Δ Χ Δ
6^4 6^4 24.1^4 14^4 6^4 | 28 3 3 1 1 1 2 2 43.

2. *Supplices.*

II 3 b. *Episodii primi scaena tertia* 451 ss: regis oratio ex duabus constat partibus, quarum altera ad chorum est directa, altera ad Danaum. Quoniam autem posterior pars eundem versuum

numerum continet quem oratio quae sequitur Danai, aequalitati videtur studuisse poeta haecque constituenda forma:

B	*XBX*	*B* |		*Δ*	*B* |	*X*	*ΔX*	*B*	
17	13.1	12, |	10	10	4 |	2	10.1	8.	

III. *Episodium tertium* 676 ss: singulis chori strophis quater binarius versuum numerus Danai et coryphaei adiectus est ad hunc modum:

Δ	*X*	*Δ*	*X*	*Δ*	*X*	*Δ*	*X*	*Δ*	*X*	*Δ*
24	2,α	2	2,α'	2	2,β	2	2.β'	2	2	12.

IV 2. *Episodii quarti scaena secunda* 917 ss: ultimis duobus praeconis versibus respondere videntur duo primi regis: cf. adn. ad tabulas et quae supra sub lit. B. de symmetria eiusdem scaenae dixi; quare sic constituo schema:

B	*ϰB*	*ϰ*	*B*	*ϰ*	*B*	
5	14.1	4*	12	4,2	2,12.	

3. *Septem.*

II 1. *Episodii secundi scaena prima* 358 ss: sex illa orationum paria quin ex binis aequalibus partibus constiterint — nam primi duo nuntii versus pro prooemio sunt ducendi — mihi quidem non videtur in dubium vocari posse. Cum tamen quomodo medendum sit eis quae tertio quarto quinto loco posita sunt quotque his locis fuerint versus non conveniat inter homines doctos, reliqua in hoc schema redigere sat est:

ă	*E*	(*X*)	*ă*	*E*	(*X*)	. . .	*ă*	*E*	(*X*)	*ă*
2,20	20	α	15	15	α'		29	29	γ'	20,2

4. *Prometheus.*

I b. *Episodium primum* 334 ss: in media scaena quini sunt versus Promethei et Oceani ad hanc figuram (Ribbeck 8):

Ω |	*Π*	*Ω*	*Π*	*Ω*	*Π*
ἀν. |	9	23	5	5	37.

I c. *Episodium primum* 381 ss: tertia huius episodii particula a binis Oceani et Promethei versibus incipit (Ribbeck 8) = 2 2.

III c. *Episodium tertium* 694 ss: canticum chori bini Promethei et chori versus secuntur = 2 2.

III d. *Episodium tertium* 745 ss: stichomythiam quae est in tertia huius episodii parte quini Ius et Promethei versus praegrediuntur = 5 5.

5. *Agamemno.*

III. *Episodium tertium* 878 ss: post longam Clytaemnestrae orationem septendecim versus ab Agamemnone recitantur, quibus respondent totidem post discessum eius a Clytaemnestra prolati ad hunc modum:

. . . *A* *KAK* *A* | *K*
17 13.1 14 | 17.

IV 1. *Exodi scaena secunda* 988 ss: duodecim versus a Clytaemnestra recitatos terni chori et Clytaemnestrae secuntur ad hanc normam:

K X K X K X K
12 3 3 2 7 2 5.

6. *Choephoroe.*

I 3 a. *Episodii primi scaena tertia* 466 ss: in prima huius scaenae particula ante stichomythiam bini et terni ab Oreste et Electra pronuntiantur versus, terni ab eisdem post stichomythiam ita ut hanc esse responsionis formam in propatulo sit:

O H O H O H O H O H O
2 2 3 3 8. 1 3 3 2 3 2.

II 3. *Episodii secundi scaena tertia* 760 ss: concluditur scaena episodiumque binis chori et nutricis versiculis = 2 2.

III 3. *Episodii tertii scaena tertia* 878 s. incipit a singulis Clytaemnestrae et servi versibus = 1 1.

III 4. *Episodii tertii scaena quarta* 885 s. item capit initium a singulis Orestis et Clytaemnestrae versiculis = 1 1.

7. *Eumenides.*

I. *Episodium primum* 227 ss. concluditur ternis chori et Apollinis versibus = 3 3.

III c. *Episodium tertium* 664 ss: tertia huius episodii pars a binis Minervae et chori versibus exorditur = 2 2.

D. De symmetria duali composita.

Composita autem eius generis symmetria dicenda mihi videtur, cum non singulis singulae respondent versuum complexio-

nes, sed summa versuum ab altera persona pronuntiatorum summam aequiparat eorum qui ab altera proferuntur. Ex quo genere hae sunt scaenae in fabulis Aeschyleis:

1. *Persae.*

I 3. *Episodii primi scaena tertia* 431 ss: media huius scaenae particula ad hunc modum est compositum ut ab Atossa duo et tres et duo versus pronuntientur interque eas versuum complexiones nuntii tres et quattuor interiaceant versiculi ad hanc figuram:

7

A *ἄ* *A* *ἄ* *A*

2 3 3 4 2

7

4. *Prometheus.*

Prologus: post orationes Roboris et Volcani, quarum altera ex undecim, altera ex viginti quattuor constat versibus, neglectis versibus tribus Roboris qui secuntur et sex eiusdem in fine positis, de quibus infra dicetur, colloquium Roboris cum Volcano ita instructum cernimus ut bini illius versus inter singulos huius interiecti sint (Ribbeck 3 ss.). Summae autem versuum qui ab utroque actore praeter novem illos Roboris recitantur pares sunt; quare hoc schema in oculis observatum fuisse videtur poetae:

39

K *H* *K* *H* *K* *H* *K*

11 24 **3** 1 14(2,1) **6**

39

III c. *Episodii tertii particula tertia* 630 ss: quinque versus Promethei antecedunt orationem Ius ex quadraginta septem versibus constantem, cuius quasi prooemium dici possunt quinque primi versus quibus obtemperaturam se esse chori voluntati Io declaret, in exitu vero particulae orationem habet Prometheus quadraginta duo versus complectentem ita ut totidem versus ab hoc actore effundantur quot ab Io ad hanc figuram:

X *Π* *I* *X* *Π* *I* *Π*

4 5 5,42 [8]*μ*. 2 2 42.

5. *Agamemno.*

III. *Episodium tertium* 774 ss: Agamemnonis primam ora-

tionem ex quadraginta quinque versibus constantem Clytaemnestrae sequitur undesexaginta habens versus. Qui desunt Agamemnonis quattuordecim post stichomythiam proferuntur. Quoniam igitur idem versuum numerus utrique actori tributus est, non dubito hoc responsionis schema ponere:

A	*K*		*A*	*KAK*	*A* ἄφ.	|	*K*
45	59†*	(= c. 45, 14)	17	13.1	14	|	17.

7. *Eumenides.*

II. *Episodium secundum* 432 ss: in posteriore huius episodii particula orationem Orestis ex viginti septem versibus consistentem septem antegrediuntur Minervae trimetri et secuntur viginti ita ut idem versuum numerus ab utroque actore effundatur. Norma autem haec est:

A	*X*	*AX*	|	*A*	*O*	*A*
18	3	18.1	|	7	27	20.
					27	

E. De symmetria communi.

De communi restat ut dicamus symmetria mensurali; quae hoc habet proprium quod non singulorum actorum versuum complexiones sibi respondent, sed eae quae communes sunt omnibus qui in particulis de quibus agitur actionis participes sunt histrionibus. Qua in re nihil refert utrum pares sint necne numeri versuum qui a diversis actoribus proferuntur, quoniam mixtas esse posse symmetrias in particulis quibusdam saepius vidimus. Ex quo genere hae sunt scaenae fabularum Aeschylearum:

1. *Persae.*

I 1. *Episodii primi scaena prima* 155 ss: postquam ex aedibus egredientem reginam quattuor tetrametris trochaicis consalutavit chori dux, Atossa pronuntiat quattuordecim versus eodem metro confectos et chorus tres item [= 17]; post orationem deinde Atossae ex iambicis trimetris constantem chorus recitat undecim versus item trochaicos et regina sex item [= 17]; stichomythiam denique, in qua septies se excipiunt actores, tres tetrametri secuntur chori adventum nuntii indicantis [= 17]. Ter igitur inveniuntur septeni deni versus trochaici ita ut hoc schema componere liceat:

Χ Α Χ Α Χ Α ΧΑ Χ
4^4 14^4 3^4 39 11^4 6^4 14.1^4 3^4
17 17 17

II. 2. *Episodii secundi scaena secunda* 778 ss: ultima huius scaenae particula, quae a duodetriginta versibus Darei incipit, chori tres et Darei tres exhibet versus [= 6] et post unum chori versiculum Darei unum, chori unum, Darei duos, chori duos [= 6], quamobrem haec esse videtur responsionis figura:

Δ Χ Δ Χ Δ Χ Δ Χ Δ
28 3 3 1 1 1 2 2 43.
6 6

2. *Supplices.*

I 1. *Episodii primi scaena prima* 166 ss: undetriginta versibus a Danao in initio scaenae recitatis respondere videntur stichomythia, in qua octies singulos pronuntiant versus Danaus et chorus, et posterior Danai oratio, quae duodecim habet versus; quare hoc schema constituerim:

Δ Χ ΔΧ Δ
28 3 16.*1 12
28.

3. *Septem.*

Prologus: si in oratione Eteocli, quae nunc comprehendit duodequadraginta, unum excidisse versiculum statui possit, haec respondere videatur nuntii tringinta et Eteocli novem versibus ad hanc normam:

Ε | *ἄ Ε*
38 (39?) | 30 9

4. *Prometheus.*

I. *Episodium primum* 288 ss: post versus anapaesticos novem inveniuntur versus Promethei, viginti tres Oceani, quinque Promethei [= 37], quorum summa redit in exitu particulae, quoniam Promethei oratio ex triginta septem constat versibus (hoc est quinque, quibus altera recusatio Promethei continetur, et triginta duobus, quibus causa recusationis indicatur). Sequitur colloquium ita compositum ut binis versibus Oceani et Promethei in principio positis respondeant quattuor ab Oceano in

exitu recitati et bis binis Oceani et bis singulis Promethei versibus opposita sit stichomythia sex versus complectens. Idem tulit iudicium O. Ribbeck (8), qui hanc ad figuram diverbium compositum esse statuit:

$$2 + 2 \mid 2 \times (2 + 1) \mid 3 \times (1 + 1) \mid 4.$$

Quae cum ita se habeant, totius episodii hoc videtur esse schema:

Ω	Π Ω Π Ω Π	Ω Π Ω Π Ω Π ΩΠ Ω
13²,1¹ἀν.	9 23 5 5 5,32	2 2 2 1 2 1 6.1 4
	37 —— 37	

III 6. *Episodii tertii particula secunda* 612 ss: de sermonum ordine haec protulit Ribbeckius (8) mihi probata: „Binis enim Ionis versibus 614 sq. [612 s.] et 623 sq. [621 s.] in duas particulas dividitur colloquium, quarum priore de Promethei supplicio [612 - 620], altera de Ionis laboribus [621—629] dicitur. Tanta autem ipsarum sententiarum similitudo inter utramque intercedit, ut eadem fere concinnitate, qua carminum stropha et antistropha, haec disceptatio dici possit composita esse. Quod ut planius intellegeretur, totum locum ita descripsi, ut eqs.“ Figuram vero hanc esse intellexit:

$$2 + 1.\ 3 \times (1 + 1)\ 2 + 1.\ 3 \times (1 + 1),$$

quae ad nostram consuetudinem sic est immutanda:

I Π IΠ I Π IΠ
2 1 6.1 2 1 6.1.

III d. *Episodii tertii particula quartu* 740 ss. incipit ab his Ius verbis: *ἰώ μοί μοι, ἒ ἕ,* quae interiectio idem valet apud Aeschylum atque unus versus: cf. adn. ad tabulas de Agamemnone fabula conscriptas (IV 2). Haec verba secuntur duo versus Promethei, unus chori, unus Promethei; clauditur vero particula uno versu Ius, uno Promethei, uno Ius, duobus Promethei. Quamobrem hanc symmetriae figuram Aeschylus videtur spectasse:

I Π X Π I Π IΠ IΠ I Π I Π
1 2 1 1 5 5 10.1 10.1 1 1 1 2
5 —— 5

IV 2. *Exodi scaena secunda* 943 ss: in exordio huius scaenae pronuntiant deinceps Mercurius novem versus, Prometheus undecim, Mercurius et Prometheus quater binos, Mercurius unum, quorum non modo ultimi novem novem respondent a Mercurio in principio recitatis, verum etiam summa aequiparat undetriginta versus in scaenae exitu a Mercurio prolatos; sic reliqui versus ad hoc schema:

Ε Π Ε Π Ε Π Ε Π Ε Π Ε Π Ε Π Ε Π ΕΠΕ Π Ε Π Ε Π Ε
9 11 2 2 2 2* 1 2 1 2 1 1 1 . .: 1 5.1 5,5 1 1 2 6 29
9 6 4 4
29

5. *Agamemno.*

IV 4. *Exodi scaena quarta* 1548 ss: Aegisthi orationem, quae quasi prooemium scaenae est, colloquium sequitur huius cum choro sic compositum ut ternis denis chori et Aegisthi versibus definiatur. In principio autem eius chorus quinque pronuntiat versus, Aegisthus octo, in exitu ille sex, hic septem ad hanc figuram:

Α | *Χ Α Χ Α Χ Α Χ*
35 | 5 8 3 5 3 7 6
13 13

6. *Choephoroe.*

I 1. *Episodii primi scaena prima* 99 ss: cf. H. Weil et J. J. Oeri Die grosse Responsion in der späteren Tragoedie des Sophocles, Berl. 1880 p. 32: duas reperimus stichomythias quae duodevicenos versus complectuntur ad hanc rationem inter Electrae orationes interpositas:

Η Χ ΗΧ Η Χ Η ΧΗ Χ Η
22 2 16.1 29* [11]μ. 2* 14.1 2 29
18 18.

I 3. *Episodii primi scaena tertia* 466 ss: commum sequitur Orestis cum Electra colloquium triginta unum versum continens; eundem versuum numerum Orestis oratio exhibet in fine scaenae. Quare hoc habemus symmetriae schema:

Ο Η Ο Η ΟΗ Ο Η Ο Η Ο | . . . | *Ο*
2 2 3 3 8.1 3 3 2 3 2 | | 31
31

His nescio an addendum sit

7. *Eumenidum*

III. *episodium tertium* 556 ss: prima enim eius particula duodequinquaginta habet versus, secunda sexaginta, tertia octoginta, quarta viginti quattuor, quinta octoginta quattuor (ex quo numero cum exclusae sint chori strophae, totam rationem in dubium vocari ipse non negarim). Quoniam autem summa versuum in prima et secunda eadem est quae in quarta et quinta, haec fortasse responsionis agnosci potest figura:

48 60 80 24 84

108 ——— 108

F. De symmetria proportionali.

Non desunt aliter formatae symmetriae. Ex his tamen illa una quam spectemus mihi quidem videtur dignissima quae hoc habet proprium quod certus versuum numerus non tam simplex repetitur quam multiplicatus in eis locis positus invenitur quos sibi respondere colligendum est, et ita quidem ut singulae versuum complexiones, quae plerumque tamquam colloquiorum termini sunt, in eadem sint ratione atque aut unus ad duos aut unus ad tres aut unus ad quattuor aut versa vice, nonnumquam etiam progressiones exhibeant quas dicunt arithmeticas, velut sex ad novem ad duodecim Qui quidem numeri quomodo sint explicandi nescire me confiteor, nisi si pares numeros (velut novem et novem) rhythmo adhibito ideo mutatos esse arbitreris ut proportio fieret (velut sex ad duodecim sicut unus ad duo). Sed consulto eis numeris poetas usos esse etiam ex Choephororum commo concludere licet, qui cum ipse mira, sed perpulchra structura conspicuus sit, illud significat etiam coniunctiones dramaticas quibus cum reliqua actione nectatur certa quadam lege obstrictas esse. Constant autem ex tribus et ex uno systemate anapaestico (cf. coniunct. dram. B. 7. et A. 7.); non sunt igitur numero pares atque aequales, sed proportionales. Similiter compositae sunt in fabulis Aeschyleis hae scaenae:

1. *Persae.*

I 3. *Episodii primi scaena tertia* 288 ss: in eisdem scaenae particulis et ab Atossa viceni terni versus pronuntiantur (sub lit. B.), hoc est in initio et fine et a nuntio proferuntur bis viceni et

ter viceni, in media vero scaena ante colloquium duali symmetria compositum (sub lit. D.) ab eodem quater viceni, qui numeri in eadem sunt ratione atque duo ad quattuor ad tres. Responsionis igitur figura haec est:

40 **80** 7 **60** ἄφ?

Α ἄ *Α* ἄ *Α* ἄ *Α* ἄ *Α* ἄ *Α* ἄ *Α* ἄ *Α* ἄ | (*X*) *Α*.

9 1 2 29 6 10 6 80 2 3 3 4 2 25 8 35 | 2 15

23 7 23

Et in hac et in reliquis figuris numeros proportionales pinguibus typis exscribendos curavi.

